

Université Lumière – Lyon 2

Faculté de Géographie, Histoire, Histoire de l'art et Tourisme -
Centre interuniversitaire d'histoire et d'archéologie médiévales
(UMR 5648)

Ecole doctorale « Sciences humaines et sociales »

*Les sermons de Guillaume de Sauqueville :
l'activité d'un prédicateur dominicain à la fin du
règne de Philippe le Bel*

Tome II : sermones de tempore

Thèse pour l'obtention du grade de docteur de l'université Lyon 2
présentée et soutenue publiquement par **Christine BOYER**
le 12 février 2007

Directrice de thèse : Mme Nicole Bériou

Devant un jury composé de Mme Elizabeth Brown, et de Messieurs Jacques Berlioz, Jacques Verger, Franco Morenzoni.

Présentation de l'édition

Le texte latin de base est celui du manuscrit Paris, BnF lat. 16495. La foliation de ce manuscrit est indiquée au fil du texte. De même, l'identification des citations bibliques est donnée dans le corps du texte ; le scribe donnant généralement la mention du livre et du chapitre, seul le verset a été ajouté entre parenthèses. Les citations bibliques sont données en italique, les citations d'autorités, y compris liturgiques, entre guillemets. Lorsque le texte s'écarte de la version de la Vulgate, les mots incriminés sont laissés en caractères droits ; seules les variantes remarquables font l'objet d'une note (signalées par *Vulg.* dans l'apparat).

Chaque sermon est précédé du numéro du sermon et de la fête correspondante, du plan suivi par le prédicateur, de l'indication des manuscrits et éventuellement de notes bibliographiques.

Par commodité, et étant donné sa taille souvent limitée, l'apparat critique mêle variantes textuelles et indications de source, bien que l'usage soit de les distinguer. Les variantes du manuscrit Bruges, Bibl. mun. 263 ont été reportées, elles sont signalées par la lettre *B*. Le manuscrit parisien est indiqué par la lettre *P*. Les autorités sont identifiées, chaque fois que cela a été possible, en fonction de la source immédiate du prédicateur, et de la source originelle. Les sources liturgiques classiques (*Ave Maria*, *Pater*, *Ave Regina*, *Salve Regina*) ne font pas l'objet de note. Les autorités non encore identifiées sont signalées par *non inventi*. Les sources données de manière non littérale sont précédées de *cf.* dans l'apparat.

L'orthographe a été occasionnellement normalisée pour le latin (pour *set*, *equus*, *iniquus*), mais pas pour les passages en français.

Un index des *auctoritates* non bibliques est donné en fin de volume.

Editions citées de manière abrégée dans l'apparat :

Analecta hymnica

ANSELMUS CANTUARIENSIS, Meditationes sive orationes, dans *Sancti Anselmi Cantuariensis Opera omnia*, ed. Franciscus S. Schmitt, vol. 3, Edimbourg, 1946.

ARISTOTELIS opera, ed. Academia regia Borussica, vol. 3: Aristoteles latine interpretibus variis, Berlin, 1831.

AUGUSTINUS HIPPONENSIS, Regula tertia sive Praeceptum, dans Luc Verheijen, *La règle de saint Augustin*, Paris : Etudes augustinianes, 1967, vol. 1, p. 417-437.

SANCTI BERNARDI Opera, ed. J. Leclercq, C. H. Talbot et H. M. Rochais, Rome : Editiones cistercienses, 1957-1977, 8 vol.

B. Fischer et al., *BIBLIA Sacra juxta vulgatam versionem*, Stuttgart, 1983.

BIBLIA latina cum glossa ordinaria : facsimile reprint of the editio Princeps Adolph Rusch of Strassburg 1480/81, Turnhout : Brepols, 1992.

BONAVENTURA, Legenda major sancti Francisci, dans *Fontes franciscani*, a cura di E. Menesto e S. Brufani, e di G. Cremascoli, E. Paoli, L. Pellegrini, S. da Campagnola, Assise : Edizioni Porziuncola, 1995.

Dom P. BRUYLANTS, *Les oraisons du missel romain. Texte et histoire*, Louvain, 1952, 3 vol.

DECRETUM GRATIANI : E. Friedberg, *Corpus juris canonici*, Leipzig, 1879, réimpr. Graz, 1955, 2 vol.

René Jean HESBERT, *Corpus antiphonarium Officii*, Rome : Herder, 1963-1979, 6 vol.

HIERONYMUS, Liber interpretationis hebraicorum nominum, éd. P. de Lagarde, Turnhout : Brepols, 1959 (Corpus christianorum. Series latina, 72).

JACOBUS DE VORAGINE, Legenda aurea, ed. a cura di Giovanni Paolo Maggioni, 2^e ed., Firenze : SISMEL ; 1998.

THOMAS HIBERNICUS, Manipulus florum, Venise, 1493-95.

Magistri PETRI LOMBARDI Sententiae in IV libris distinctae, Grottaferrata : Collegii S. Bonaventurae ad Claras Aquas, 1971 (Spicilegium Bonaventurianum, IV-V).

Anne-Elisabeth URFELS, *Le sanctoral du lectionnaire de l'office dominicain (1254-1256)*, thèse d'Ecole des chartes, 1995.

Abréviations utilisée concernant les sources :

PL : Patrologie latine (ed. Migne)

AH : Analecta hymnica

CM : Corpus christianorum. Continuatio medievalis (Turnhout : Brepols)

SL : Corpus christianorum. Series latina (Turnhout : Brepols)

CSEL : Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum (Vienne)

SChr : Sources chrétiennes (Paris : Cerf)

Teubner

Abréviations utilisées dans l'apparat textuel :

add. addidit

corr. correxit

in marg. in margine

a. m. alia manu

exp. expungit

om. omittit

lac. lacuna

†† locus desperatus

Les ajouts nécessaires à la compréhension ou à la grammaire mais ne figurant dans aucun manuscrit sont donnés dans le texte latin entre crochets droits.

SERMON 1

Premier dimanche de l'Avent.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 5ra-8vb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 178v

Plan :

Thème – Comparaison entre Dieu et le recteur de l'université

- on atteint le royaume des cieux par la pauvreté
- Dieu a le pouvoir de sauver les hommes

I – Dieu règne du haut des cieux

- la crainte de Dieu est moins ressentie sur terre car il est loin
- sa mansuétude ne fait pas peur

II – L'homme se dirige vers sa mort

- égalité de tous devant la mort
- le fils de Dieu a pris une apparence humaine pour descendre sur terre

III – Dieu libère de la mort.

F. 5 ra : Sermo primus. Incipiunt sermones fratris Guillelmi de Saccouilla.

Dominus rex noster ipse ueniet et saluabit nos, Is. 33 (22).

[Thème] Uniuersitas Parisiensis gaudet hoc priuilegio speciali quod scolarem suum in carcere prepositi regis uel officialis detentum rector uniuersitatis potest repetere¹, rectori debito modo petenti iustitia tenetur reddere. Unde scolares in carcere positi spem et consolationem habent cogitantes intra se ipsos : « Rector noster ueniet qui et requiret et liberabit nos ». Iste introitus posset generalius accipi de rege qui habet priuilegium eruendi et a carcere et a morte omnem detentum uel iudicatum ab aliquo suo. Ideo talis regis aduentum incarcerati et ad mortem iudicati continue desiderare deberent. Rex iste est Christus pius et clemens cui proprium est semper misereri et parcere, qui ait per prophetam dicentem Eze. 18 (32) : *nolo mortem peccatoris* etc. Incarceratus uel condempnatus est peccator qui propria sola sua culpa factus est peccator. Applica etc. Set redeundo ad primum introitum, dicamus quod cum tota uniuersitas Parisiensis distinguatur per quatuor facultates, facultas artium sola, que reputatur infima, habet istum honorem quod de ipsa sola uniuersitas sumit sibi rectorem. Unde si in aliis hec facultas sit infima, in honore tamen rectorie non est infima set precipua et suprema. Quare quadam singulari prerogatiua dicere potest : « Rector [5rb] est de nostris, uel noster » ? Modo moraliter reducendo, applicemus ista ad mores primo, secundo ad propositum.

Primo quidem ad mores reducendo, dicamus quod ad honorem rectorie nullus eligitur nisi solum de infima facultate, id est quod ad ueniendum ad honorem regis celestis qui est uere honor

¹ repete] et add. et exp. P.

rectorie, quare *regnum optinuerunt sancti* in Dan. (7, 22). Modus, inquam, ibi ueniendi non est per maiores facultates, id est per diuitias et honores et possessiones maiores, set per infimam facultatem, id est per infimam facultatem duo requirentem¹ scilicet humilitatem et uoluntariam paupertatem. Matth. 5 (3) : *beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum celorum*, et Lu. (6, 20) : *beati pauperes quoniam uestrum est regnum Dei*, quasi dicat : nobis de infima facultate debetur honor rectorie, quia soli humiles et pauperes eliguntur in rectores, ut patet Ia. II (5-6) : *nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide et heredes regni, uos autem exhonorasti pauperem*. De hac infima facultate dicitur Gen. 31 (1) : *Iacob facultate ditatus factus est inclitus*. Iacob subplantator² est pauper humilis qui mundi honores et diuitias contempnit et sub planta ponit, facultas Iacob est uera paupertas. Facultas utique artium seu philosophie differunt, unde Augustinus³ : « Omnis philosophie magistra nobis est inopia, non ita laudamus Ioseph cum frumenta distribuebat nec cum carcerem habitabat. » Hac ergo facultate infima, paupertate [5va] scilicet et humilitate, Iacob ditatur et fit inclitus⁴ quando « pauper et modicus celum diues ingreditur, ympnis celum honoratur⁵ ». Ecce quod ad honorem solum promouentur illi de infima facultate. Crisostomus⁶ : « Quicumque desiderat primatum celestem sequatur humilitatem terrestrem. Non enim qui maior est in honore illo maior est in celo, set qui minor. » Ideo dicebat Christus apostolis (Luc. 22, 25) : *reges gentium dominantur eorum etc.* Vos autem non sic, set qui maior est uestrum fiat sicut minor.

Ad propositum rector totius uniuersitatis Deus est, Hest. 13 (9) : *Domine rex omnipotens in dictione cuius cuncta sunt posita et non est qui possit resistere uoluntati tue*, Dominus omnium uel uniuersorum tu es. Rector autem iste assumptus est de infima facultate. Cum enim tota uniuersitas, nature intellectualis creatura⁷, distinguatur per quatuor facultates quarum tres superiores sunt angelice, quarta omnibus infima est humana natura. *Minuisti eum paulominus ab etc.* (Ps. 8, 6). De nulla tamen superiorum assumptus est rector ad regendum totum uniuersum, *nusquam enim angelos apprehendetur set semen Abrahe apprehendetur*, Heb. 12 (2, 16). De sola ergo infima homo natus est, qui celum terramque regit in secula seculorum, ut cantat⁸ Ecclesia, qui est *Rex regum et dominus dominantium* (I Tim. 6, 15). Licet ergo in aliis humana natura sit inferior angelica, in honore tamen rectorie non est infima set suprema, quod fuit philosophice et figurative simul dictum Miche 6 (5, 2) : *et tu Bethleem [5vb] Effrata nequaquam paruula es in principibus Iuda ex te egredietur qui sic dominabitur in Israel*. Effrata interpretatur⁹ puluerulenta aut de Niniue ueniens, hoc

¹ duo requirentem] add. P in marg. a.m.

² Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 67.

³ *Manipulus florum*, Paupertas C (Augustinus super Psalmum 76).

⁴ inclitus] inclitum P corr. a.m.

⁵ CAO, 4, 7132.

⁶ *Manipulus florum*, Honor K (Chrisostomus super Mattheum) ; ps.-Iohannes Crisostomus, *Opus imperfectum. In euangelium Matthaei*, 25 (PG 56, col. 830).

⁷ creatura] creature P.

⁸ Non inventi.

⁹ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 99.

est natura humana, Iob (10, 9) : *memento queso quod sicut lutum feceris me* etc. Et Gen. (3, 19) : *puluis es et in puluerem reuerteris*, et ibidem (Gen. 18, 27) : *loquar ad Dominum cum sim puluis et cinis*, hinc dicitur *nequaquam paruula es* etc. quia, ut supra dictum est, licet in aliis sit infima, tamen in honore rectorie est suprema, unde singulari prerogativa potest dicere : rector uniuersitatis est noster. Ps. (98, 8) : *Domine Deus noster* etc. Rector iste uniuersitatis ideo uenit in mundum ut requireret et liberaret scolarem, id est¹ hominem in carcere periculoso peccati detentum. *Venit enim Filius hominis querere et saluum facere quod perierat*, Luc. 19 (10). Bene carcere periculoso quia inter carceres communiter est iste ordo, quare ille carcer post carcerem dampnatorum est periculosior. Qui enim ei immediatior carcer dampnatorum est carcer inferni, huic carceri est immediatus ita carcer peccati quod non nisi paries luteus mundus. Fracto enim pariete luteo, id est mortuo corpore, ad litteram de luto formato, statim de carcere peccati homo intrat carcerem inferni ; ab hoc carcere petebant liberari patres antiqui per aduentum rectoris dicentes² : « O Emanuel rex et legifer noster etc. », et ultra : *Veni, educ uinctum de domo carceris* (Is. 42, 7) etc. Unde hanc solam consolationem habebant patres antiqui quia [6ra] cogitabant intra se ipsos : Rector noster ueniet qui requiret et liberabit nos, hic est sensus uerbi propositi : *Dominus rex noster* etc. Unde tria dicunt isti : rector³ sursum imperat, *Dominus rex noster*, cursum deorsum properat, *ipse ueniens ueniet inquam et non tardabit*, a mortis morsu⁴ liberat, *et saluabit nos*.

[I] Circa primum notandum quod ad hoc quod rex regnet in duobus regnis, hoc quandoque contigit per matrimonium inter masculum heredem regni unius et puellam heredem regni alterius, sicut ad litteram factum est de regno Francie et regno Nauarre⁵. Sic enim hec duo regna conuenerunt in unum, sic quod illi de Francia recognoscunt reginam Nauarre in dominam suam et Nauarri regem Francorum in dominum. Unde illi de utroque regno obediunt eius imperio. Si uolumus sequi proprietatem nominum, non rerum, quia forte ambo Francia et Nauarra sunt per antifrasim dicta, omne enim regnum aliud a regno celorum abusue et per antifrasim uocatur regnum. Dicitur enim regnum Francorum quia liber ; francus enim et liber idem sunt, *sola autem illa que sursum est Ierusalem libera est*, Gal. 4 (26). Nauarra uocatur auara, suppono quod sic per antifrasim sit uocata. Tamen sequendo hanc ethimologiam, regnum Nauarre est proprie regnum mundi, quia mundanis hominibus auaritia et cupiditas est innata in tantum quod *omne quod est in mundo uel concupiscentia carnis*, Ioh. 2 (16). Iterum *a maiore usque ad [6rb] minorem omnes auaricie student*, Ier. 6 (13). Habeo ergo duo regna distincta, scilicet regnum celi et mundi, et bene distincta, quia ante aduentum Christi in diuisione et discordia magna erant, unde Ysa. (59, 2) : *iniquitates enim uestre diuiserunt inter uos et Dominum uestrum*. Verus enim heres regni celorum est Dei filius. *Si enim filius et heres per Deum*,

¹ id est] unde P.

² CAO, 3, 4025, Antiphonae majores.

³ rector] qui exp. P.

⁴ mortis morsu] morte morsum P.

⁵ Exemplum 1.

Gal. 4 (7). *Regina et domina huius mundi est humana natura, Gen. 1 (28) : replete terram et subicite eam et dominamini piscibus maris et uolatilibus celi et uniuersis animantibus que mouentur super terram.* Potest dicere nunc natura humana : *sedeo ut regina et uidua non sum* (Apoc. 18, 7). Ipsa enim nobilem maritum, id est regem celorum, copulauit sibi in matrimonium. *Hanc amavi et quesiui mihi sponsam assumere*, Sap. 7 (8, 2). Propter illud matrimonium duo regna celi et mundi sunt copulata in unum, iuxta uaticinium Eze. (37, 22) : *erit rex unus omnibus imperans nec erunt ultra due gentes, nec diuidentur amplius in duo regna.* Unde sicut ciues celestis regni, quod est regnum Francorum, recognoscunt puellam nostram dominam et reginam : « Aue regina celorum, aue, domina angelorum », ita nos Nauarri, id est nos de regno mundi, recognoscere debemus regem celorum tamquam dominum nostrum et obedire eius imperio sicut obediunt ei illi de alio regno, dicentes illud 2 Reg. (15, 15) : *omnia quecumque precepit nobis dominus noster libenter exsequuntur serui tui.* Ita petimus in oratione dominica : « Adueniat regnum tuum », hoc est ad nos [6va] ueniat regnum tuum, « fiat uoluntas tua sicut in celo et in terra ». Set heu ipse conqueritur : *si ego dominus, ubi est timor meus*, etc. Mal. 3 (1, 6). Nonne Pylato dicenti : *ecce rex uester, regem uestrum crucifigam ?*, responsum est : *non habemus regem nisi Cesarem*, (Ioh. 19, 14-15). Vere adhuc hodie, sic a mundanis hominibus tacite respondeatur. Plus enim incomparabiliter timetur rex terrenus quam Deus, ymmo unus eius officialis quicumque, et magis obeditur eius imperio. Causa autem huius est duplex.

Prima est quia quando rex unus regit duo regna, unum per seipsum presentialiter et aliud per uicarium uel uicarios, communiter melius obeditur ei in regno ubi imperat per seipsum quam ubi imperat per uicarium, ymmo quandoque propter malum regimen uicariorum totum unum regnum rebellat regi suo dicens : *nolumus hunc regnare super nos*, Luc. 19 (14). Ille, scilicet Christus, in regno celorum imperat per seipsum presentialiter, in mundo imperat et regit per uicarios ; illi enim qui nunc regunt in mundo, in regimine¹ spirituali, sunt uicarii regis, scilicet Christi, et non habent auctoritatem regendi nisi ab ipso. *Per me enim reges regnant et potentes decernunt iustitiam* (Prou. 8, 15-16) et certe malum regimen istorum uicariorum multum est causa rebellionis et inobedientie subditorum. Unde Hugo de Sancto Victore² : « Prelati sunt impii et subditi sunt iniqui. Nisi enim isti per impietatem innocentiam preuenirent, isti per iniuriam iustitiam non impugnarent. » In rectorem uniuersitatis nullus debet eligi qui non actu regit in facultate artium. [6vb] Facultas autem artium, secundum Gregorium³, est « regimen animarum » in Pastorali. « Ab imperitis pastorale magisterium aliqua temeritate suscipitur, quando est ars artium regimen animarum. » Quod ergo puer etate qui nescit regere seipsum uel puer moribus qui non regit se nec dominatur passionibus set regitur et dicitur passionibus, sit rector animarum uel rector communitatis, hoc est de non regente actu in facultate artium facere rectorem uniuersitatis, quod est ualde absurdum. *Ve enim terra cuius*

¹ regimine] uel add. P.

² Hugo de Sancto Victore, *In Salomonis Ecclesiasten homiliae*, XIX, 18 (PL 175, 246D).

³ *Manipulus florum*, Prelatio AK (Gregorius in pastorali) ; Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, I, 1 (B. Judic et al., SChr 381, 1992, p. 128).

rex puer est et cuius principes in mane commedunt, Eccle. (10, 16). Nonne ab inobedientia Roboam filii Salomonis magna pars regni recessit, quia per iuuenes regebant regnum suum, III Reg. (12-14) ? Nonne regina Vasti contempsit imperium *regis Assueri quod per eunuchos mandauerat*, Hest. 1 (15) ? Sic hodie magna pars mundi recedit ab obedientia regis, scilicet Christi, et eius mandata contempnit, quia illi qui regunt et imperant uice Christi sunt iuuenes, id est habent mores iuueniles et se ipsos regere nesciunt ; sunt eunuchi, id est in bono opere infecundi. *Dicunt enim et non faciunt* (Matth. 23, 3), unde Bernardus¹ : « Canales hodie in ecclesia habemus multos, aquas autem per paucas rationem caritatis super per quos nobis fluenta celestia manant, ut potius infundere quam infundi uelint, loqui quam audire paratores et prompti docere quod non didicerunt et aliis preesse gestientes se ipsos regere nesciunt. »

Secunda causa quare in regno mundi male |7ra| obeditur imperio Christi est ista, quia ubi uidetur rex nimis mansuetus dissimulans et non puniens rigide defectus, qui ducuntur timore, non amore, contempnunt precepta eius ; set econtra homines qui ducuntur amore, non timore, libentius obediunt regi mansueto quam regi rigido et austero. De Christo rege nostro dicitur : *ecce rex tuus uenit tibi mansuetus*, Matth. 21 (5). Ad litteram iste non statim punit, ymmo dissimulat peccata nostra et defectus nostros. *Dissimulans peccata hominum propter penitentiam*, Sap. 11 (24). Et ideo homines mundi qui ducuntur timore magis quam amore, eo quod non sunt perfecti in caritate, quia *perfecta caritas foras mittit timorem*, I Cor. 2 (I Ioh. 4, 18), contempnunt Dei precepta. Logici dicunt quod adiectuum superueniens substantiuo facit partem in modo ad quam tenet locus dyabolicus et est optima consequentia ; quando determinatio modificans et determinatio diminuens [est], tunc consequentia non est bona. Non enim sequitur homo mortuus, ergo homo, quando autem dicitur mansuetus est, hic est adiectuum superueniens substantiuo. Unde in rege nostro Christo mansuetudo est determinatio modificans regiam potestatem. Iram enim Dei nullus sufferre posset sine² moderata mansuetudine misericordie, quod incitat Ps. (89, 10) cum dicit : *superuenit mansuetudo et corripiemur*. Quis nouit potestatem ire tue ? Figuram huius habemus in Hester (15, 10) que non potuit sufferre aspectum regis Assueri : *cum ardentibus oculis furorem pectoris indicasset* quoque conuertit Dominus spiritum regis in mansuetudinem. Set |7rb| mansuetudo apud aliquos est determinatio diminuens, quia mansuetudo nimie benignitatis apud aliquos diminuit. De timore et reuerentia regie maiestatis, quando aliquis tantum presumit de diuina mansuetudine quod non timet potestatem ire sue, tunc consequentia non est bona, quia passim precepta Domini transgrediuntur : *qui autem terribilia agunt regnum Dei non consequuntur*, Gal. (5, 21). Set tunc mansuetudo non est determinatio diminuens, quando homo non tantum presumit de diuina mansuetudine quin timeat iram uindictae, tunc bona est consequentia, quia seruantur precepta et corriguntur uitia, et tunc locum habet illud iam allegatum : *superuenit mansuetudo et corripiemur*. Sic habemus optimam consequentiam

¹ *Manipulus flororum*, Prelatio BE (Bernardus super Cantica).

² sine] nisi P.

quare iuxta dictum collecte¹ : « Veniam consequimur et gloriam. » Dixi ergo significanter quod rector sursum imperat, quia hic in mundo male obeditur eius imperio. Ps. (23, 10) : *Dominus uirtutum ipse est rex etc.*

[II] Secundo dico quod cursor deorsum properat, ubi notandum quod motus ad centrum qui est motus deorsum immediate sequitur formam grauis. Ratio igitur quare graue deorsum uelocius currit, quanto medium minus sibi resistit, tanto et cursor quilibet citius currit quanto in spatio medio minus sistit, unde cursor bonus non mensurat spatium passu post passum set incedit per saltum. Loquamur ad mores primo et ad propositum secundo.

Primo quidem ad mores ; centrum est punctus medius in uniuerso, equaliter respiciens partes uniuersi. Nomine autem uniuersi intelligitur homo, unde in Matth. (Marc. 16, 15) : *euntes in mundum |7va| uniuersum predicate euangelium omni creature.* Philosophus² uocat hominem microcosimum et minorem mundum. Centrum ergo uel punctus medius respiciens equaliter omnes partes minoris mundi est punctus mortis, de quo dicit Bernardus³ : « Quid est in rebus humanis certius morte, quid incertius hora mortis ? Iuuenis enim non miseretur inopiam, non reueretur diuitias, non sapientie, non moribus, non etati denique parcit nisi quod senibus est in ianuis, iuuenibus in insidiis. » Ecce punctus medius omnes respicit. *Humiliatio tua in medio tui*, Michas 6 (14). Qui bene consideret quomodo punctum mortis est medius quo equaliter respicit, ita diuites sicut pauperes, iuuenes sicut senes, et sic de aliis, habet naturam se humiliandi forma grauitatis que inclinat et tendere facit deorsum. *Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam*, Sap. 9 (15). Sicut enim graue, statim quando accipit formam grauis, incipit tendere uersus terram, ita homo ab instanti nativitatis sue incipit tendere ad mortem, Sap. 6 (5, 13), *sic nos nati continuo desiuimus esse*, unde Iob (9, 25) : *dies mei uelociores fuerunt cursore.* Recte sicut ille qui uelociter currit non mensurat spatium medium passu ad passum set incedit per saltum, sic mors saltat de uno ad alium, de auo ad filium et dimittit patrem, de auia ad filiam et dimittit matrem⁴. Iterum bene dicit *uelociores cursore*. Numquam graue ita uelociter currit ad centrum quin motus eius possit impediri uel totaliter sisti per obstaculum |7vb| sibi oppositum. Columpna enim supposita non sinit trabem cadere deorsum set cursus hominis ad mortem non potest sisti, non potest impediri per aliquod obstaculum. Diuites enim, quantum possunt, nituntur uitam suam prolongare et cursum mortis retardare per cibaria optima, uina delicata, medicinalia multa, querunt ergo remedia contra mortem, ita cito uel citius moriuntur sicut alii. De ueloci cursu ad mortem dicitur Ez. 7 (6. 3) : *uenit finis, finis uenit, nunc finis super te*, et Ys. 13 (14, 1) : *prope est ut ueniat tempus eius et dies eius non elongabuntur*, unde currens ad terminum quem non uidet, necesse habet preponere manus, alias, inueniens obstaculum, frangeret sibi caput. Terminum ad quem uelociter currimus nullus uidere

¹ Bruylants, n° 1020, feria III post dominicam III Quadragesime (postcommunio).

² Non inveni.

³ *Manipulus florum*, Mors AT (Bernardus) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermo de conuersione ad clericos*, 16 (SBO, IV, p. 90).

⁴ matrem] meam add. P.

potest. *Dies enim Domini sicut fur in nocte ita ueniet*, 1 Thess. 6 (5, 2). Sicut enim nichil est certius morte, sic nichil est incertius hora mortis. Augustinus¹ : « Nescis qua hora ueniet, semper uigila ; et quia nescis quando ueniat, paratum te inueniat cum uenerit. Et adhuc forte non scis quando ueniat ut semper sis paratus. » Unde Luc. 12 (39) : *si sciret paterfamilias qua hora fur ueniet* etc. Ulterius currendo ad mortem finalem inueniemus obstaculum seu obicem, hostem scilicet antiquum qui obicit se homini in angulo mortis quem non uidet. Unde Gregorius², 6 Moralium : « Hostis antiquus ad rapiendas animas peccatorum tempore mortis crudelitatis effrenate uiolentia et quos blanditiis uiuentes decipit, morientes seu iens [8ra] rapit. » Quilibet ergo nostrum currens ad terminum mortis quem non uidet et in quo tale obstaculum inuenire debet, necesse habet preponere manus ante se, id est premittere opera meritoria, precipue opera misericordie : *quodcumque potest manus tua instanter operare quia nec opus nec ratio est apud inferos quo tu properas* (Eccle. 9, 10). Ecce quomodo cursor deorsum properat, unde Gregorius³, IX Moralium : « Ad hoc Conditor noster nos uoluit factum nostrum diemque mortis nostre incognitum ut, dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur, et tanto quis fit feruentior in operatione, quanto incertius est de uocatione. Unde dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati uenire debeamus. » Hoc sit dictum ad mores.

Ad propositum : filius Dei ueniens in carnem, formam uel naturam generis humani assumpsit. *Exinaniuit enim semet ipsum formam serui accipiens* etc., Phil. (2, 7). Et dico bene formam generis uel naturam, quia naturam humanam assumpsit cum grauaminibus penalibus, licet non culpabilibus consequentibus eam, *sicut onus graue grauate sunt super me* (Ps. 37, 5). Hanc formam grauis committit⁴ motus deorsum de celo in terram, de sinu patris in uentrem uirginis. *Exultauit ut gigas ad currēdam uiam* etc. (Ps. 18, 6). Ecce cursor qui deorsum properat, non enim mensurat spatium set incedit per saltum. Cum enim inter hominem et Deum sint medii 9 ordines angelorum, in nullo ordine angelorum stetit. Unde ad Hebr. (1, 5) : *cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu* etc. Set omnes pertransiens ad homines uenit, Cant. 2 (8) : *ecce [8rb] iste uenit saliens in montibus, transiliens colles*, id est pertransiens angelorum et archangelorum ordines. Eu iste stat post parietem nostrum, scilicet luteum humane nature. Sicut ille qui stat post parietem absconditus est nec uidetur, sic diuinitas abscondita in carne non cognoscebatur, Ys. XLI (45, 15) : *uere tu es Deus absconditus* ; Ioh. 1 (10-11) : *in mundo erat et mundus eum non cognouit. In propria uenit* etc.

[III] De tertio nota quod natura sagax sic ordinauit quod illud animal quod morsu suo infligit uulnus mortiferum, illud idem de se ipso prestat remedium salutiferum. Ita apparet in serpente habente morsum uenenosum, de quo fit tyriaca que est medicina contra uenenum. Simile habemus in Tobia

¹ *Manipulus florum*, Mors H (Augustinus) ; Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalmos*, CXX, 3 (E. Dekkers et J. Fraipont, SL 40, 1956, p. 1788).

² *Manipulus florum*, Mors AF (Gregorius libro 6 Moralium) ; Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, VI, 31 (M. Adriaen, SL 143, 1979, p. 319).

³ *Manipulus florum*, Mors AC (Gregorius libro 12 Moralium) ; Gregorius Magnus, *Homiliae in Hiezechielem prophetam*, II, 5, 7 (M. Adriaen, SL 142, 1971, p. 280).

⁴ committit] committatur P.

(11, 4-13) de illo pisce fluiali qui aperto ore Tobiam minorem inuasit, qui de consilio Raphael exenteratus est et interiora eius seu uiscera ualuerunt ad medicinam utiliter, unde tandem oculi patris excecati fuerunt illuminati. Spiritualiter quid [est] per morsum mortiferum, nisi morsus¹ pomi uetiti quo uulneratum totum genus humanum factum est mortis et inferni morsus ? Iuxta illud Osee 13 (14) : *ero mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne.* Per piscem fluuiale et per serpentem intelligo idem.

Primo quidem piscis fluuialis, cum omnia fluuia intrent mare et mare non redundat et ad locum unde exeunt fluuia reuertuntur, est Dei filius qui ab eterno fluens et emanans a patre, finaliter intravit mare, hoc est uterum Marie, et tandem rediit ad alueum proprium, |8va| dicens : *exiui a Patre et ueni in mundum, iterum relinquo mundum et uado ad Patrem,* Ioh. (16, 28). Piscis iste habet in ore morsum mortiferum et in uisceribus remedium salutiferum. Ore enim sententie iudicialis mordet peccatores et ad mortem condempnat : *ex ore eius gladius ex utraque parte acutus exibat,* Apoc. 1 (16) ; et per uiscera misericordie a morsu mortis liberat et saluat, Tob. 13 (1-2) : *magnus es Domine in eternum et in omnia secula regnum tuum, quoniam tu flagellas et saluas, deducis ad inferos et reducis, et non est qui effugiat manum tuam.* Dampnati enim non effugiunt manum iustitie de qua dicitur in Ps. (47, 11) : *iustitia plena est dextra tua* ; nec saluati effugiunt manum misericordie, de qua dicitur ibidem (Ps. 118, 173) : *fiat manus tua ut saluum me fac, non enim ex operibus iustitie que fecimus nos set secundum penitentiam suam saluos nos fecit* (ad Tit. 3, 5). Piscis iste fuit exenteratus in sua incarnatione. Tunc enim primo apparuerunt directe uiscera sue misericordie quibus genus humanum prius excecatum fuit illuminatum (Luc. 1, 78-79) : *per uiscera misericordie Dei nostri in quibus etc. illuminare etc.* De hoc habes deducionem et figuram in sermone² *Tunc uidebunt filium hominis.*

Secundo serpens habens morsum mortiferum et tyriacam salutiferam est Dei filius *qui mortificat et uiuificat, deducit ad inferos et reducit,* I Reg. 2 (6). Ipse enim, Io. 3, comparat se serpenti eneo quem Moyses exaltauit in deserto, de quo dicitur, Num. 22 (21, 8) : *fac serpentem eneum et pone pro signo, qui percussus |8vb| a serpente aspexerit eum, uiuet.* Deus factus homo congrue dicitur serpens eneus : serpens enim iste caret ueneno. Sic Dei filius uenit in similitudinem carnis peccati ; *qui tamen peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius,* Ysa. (I Pe. 2, 22). Serpens iste positus pro signo, Luc. 2 (34), *positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum et in signum cui contradicitur* ; in ruinam quantum ad illos quos mendicus saluat. Ideo dicitur in figura quod qui percussus aspexerit eum per ueram christianam fidem et deuotionem uiueret, iuxta illud Matth. 9 (22) : *fides tua te saluum fecit.* Uluet quidem uita gratie in presenti et glorie in futuro. Ad quam nos perducatur.

¹ morsus] morsum P.

² Sermon 5.

SERMON 2

Premier dimanche de l'Avent.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 8vb-9rb ; Bruges, Bibl. mun., 263, f. 6ra-va ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 178v.

F. 8vb : *Hora est iam nos de sompno surgere* (Rom. 13, 11). Facias introitum quomodo ars ymitatur naturam, et quomodo sunt pauca¹ que nature face que art ne countreface. Exemplum in horologio : natura facit horologium cuius cantu etc. Hoc horologium quod natura facit, ars contrafacit. Nota totum sicut scis. Diuisio est ista : le terme que il nous baille est sanz delacioun et sanz longe demeure, *iam* ; de age nostre temps il le taylle et ne fet mencioun fors de une soule heure, *hora est*² ; pur ceo que nul ne faille et que l'affection enpesché demeure, *de sompno surgere*.

De primo nota quod ille qui debet ad certum tempus pecuniam et ad diem nominatum, sicut in termino Paschatis uel Natalis, infra terminum illum potest pecuniam suam expendere ad libitum, dummodo in termino |9ra| illo habeat unde creditori soluat. Ante terminum illum, creditor³ non potest illum⁴ iusticiare nec compellere ad soluendum. Set ille qui non habet diem nominatum nec habet terminum nisi derogatum, non audet pecuniam suam alienare ut in omni [die] iam sit paratus soluere ; alioquin creditor ueniens et non inueniens eum paratum iusticiaret eum. Hoc ideo dixi, quia ad soluendum debitum humani generis, tributum mortis, nos non habemus certum terminum et diem nominatum. Terminum non habemus nisi derogatum : *modicum et mundus me iam non uidet*. Set quare est hoc ? Ut semper sumus parati et muniti tributum soluere, id est bene mori. *Iam letus moriar*, in Gen. (46, 30). Si haberemus terminum certum uiuendi et diem mortis nominatum, infra terminum illum possemus bona fortune, uiuentem, fortitudinem, pulcritudinem expendere, pro libito et uoluptuose uiuere. Ita credebat habere terminum uite ille fatuus qui dicebat : *anima mea, habes multa bona* etc. usque ibi : *stulte, hac nocte animam tuam repetent a te demones* (Luc. 12, 19-20). Deducas. Set ex quo non habemus terminum nisi *iam*, nullus debet predicta superflue expendere et consumere, set in solutionem creditoris, id est Dei, omnia conuertere, alioquin iustitiabitur crudelissime. Ideo dicit Apostolus (II Cor. 5, 14) : *caritas Christi urget nos estimantes hoc quoniam si unus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, ut qui uiuant⁵ iam non sibi uiuant*, id est ut uitam suam et bona sua non ad se set ad Deum ordinent, dicit primo : *caritas Christi urget |9rb| nos*. Nota quod est differentia inter motum qui sequitur inclinationem nature etc., et applica quomodo illi qui mouentur amore, quanto magis appropinquant ad terminum mortis, tanto magis mori desiderant ut sint cum Christo etc.

¹ pauca] opera add. B.

² est] quare facit hoc add. B.

³ illum creditor] creditor illum B.

⁴ illum] eum B.

⁵ uiuant] uiuunt B.

Deducas quomodo ante aduentum Christi mors bene debebat timeri, nunc autem non ; ideo dicit sponsus in Canticis (Cant. 2, 10) : *surge, propera etc.* Ideo enim hec flores etc.

SERMON 3

Deuxième dimanche de l'Avent.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 9rb-11vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 24vb-26vb.

Plan :

Prothème – La mission du prédicateur est d'annoncer la venue du Seigneur.

Thème – Les miracles témoignent de la venue du Seigneur.

I – La miséricorde divine sauve l'homme.

II – La venue du Seigneur : les bienfaits de son attente.

III – Il faut croire en la venue du Seigneur.

F. 9rb : *Tu es qui uenturus es an alium expectamus* (Mat. 11, 3).

[Prothème] Bonus nuntius debet esse sciens et instructus de hiis que ad suum officium exiguntur. Unde si debet annuntiare aduentum domini sui, debet scire quando et ubi et qualiter uult¹ recipi. Hoc autem scire potest inquirendo a domino suo. Nuntius aduentus Saluatoris est predicator. Ideo non potest loqui de aduentu domini sui nisi sit ab eo instructus, exemplo primi predicatoris Noui Testamenti, scilicet Iohannis Baptiste. Debet inquirere suam uoluntatem, ad cuius reuelationem neccessaria sunt tria : quando cum eo loquitur familiariter *tu es* ; quando preceditur antequam cepit iter, quando scilicet *uenturus es*, post aduentum esset nimis tarde ; dum illud quod proponitur dicit dubitabiliter *an alium expectamus*.

Cor hominis optime scitur per familiare colloquium, unde in orationibus ubi sponsa loquitur cum sponso suo, iste modus loquendi in secunda persona est, set modo, quando recolit ecclesia quomodo erat in thalamo uteri uirginalis (Ps. 43, 5) : *tu es ipse rex meus et Deus meus qui mandas : salutes Iacob.*

Quantum ad secundum, ideo |9va| preuenit² ut paremus nos, set proficuum esset animabus quod earum macule apparerent in facie, quia plus tremunt homines confusione mundi quam Dei, cum tum Deus de longe uideat et loquitur : *hic est uere propheta qui uenturus est in mundum*, Ioh. (6, 14). Qui modo dicitur propheta olim dicebatur uidens.

Circa tertium nota quod hominibus loquebatur set in filio, unde Heb. 1 (2), soluitur questio. Ideo quia dubitans qui requirendo³ agnoscit suam ignorantiam meretur instrui, talis homo⁴ erudit et intendit Deus, ideo Ps. (39, 1) : *expectans expectauit Dominum.*

[Thème] *Tu es qui uenturus es etc.* Aliquando contingit Parisius quod unus mediocris magister habet discipulos quos iuxta facultatem sue scientie docet de hiis que eis expedient, et quando

¹ uult] uolet P.

² preuenit] preuenitur P.

³ requirendo] requirando B.

⁴ homo] hominis P.

habet unam difficultem lectionem uel etiam questionem de qua non potest plenarie suos discipulos erudire, tunc accipit unum uel plures de illis discipulis et ponit illud de quo dubitauit in ore eorum et per modum questionis facit proponi in scolis maioris magistri ut ex eius responsione discipuli doceantur. In hunc modum Iohannes Baptista, quare Christus uoluit nasci in mundo ante se et predicare ? Similiter iam positus in corde predicans Christum iam uenisse in mundum, habebat aliquos discipulos quos, cum uideret sibi non credere ad plenum de omnibus, quia difficilia erunt ad credendum, accepit duos de illis et misit eos ad scolas magni magistri, scilicet Christi, quia (Matth. 23, 10) *magister uester unus est, Christus*, ut preponerent¹ questionem |9vb| predictam que continetur in euangelio hodierno. Christus autem eos docuit per duos sensus disciplinabiles, scilicet per uisum et auditum ; nam quedam mirabilia audierunt ab illo esse facta et quedam alia uiderunt, de quibus dixit (Luc. 7, 22) : ite, *nuntiate Iohanni que audistis et uidistis, ceci uident etc.* quia Ysaias dixerat quod ista mirabilia essent infallibilia signa aduentus Saluatoris, dicens (Is. 35, 5) : *tunc aperientur oculi cecorum et aures surdorum patebunt etc.*, quia etsi aliqui fecerunt ante Christum aliqua de istis, nullus tamen ante ipsum² fecit omnia mirabilia. Iohannes in carcere, anima in corpore mortali, debet nutrire duos discipulos, scilicet intellectum et affectum, cogitando et desiderando, et requirere aduentum. Si autem ista signa non impleantur, aliquam notitiam habet quod uenit, scilicet *ceci uident* (Matth. 11, 5), quod fit quando recognoscit Deum et suum defectum, *claudi ambulant*, set qui prius claudicabat in duas partes, inclinando ad dilectionem³ prosperitatis, cadendo in alteram partem per impatientiam, figendo⁴ pedem affectionis in tempore aduersitatis, tunc directe in Deum tendit. *Leprosi mundantur*, si, cum operibus mortuis, sitis et desiderium peccandi recedit. *Surdi audiunt*, scilicet auditu interiori uerbum Dei percipitur. Tunc capitur homo hamo uerbi quando pungitur in corde : *qui est ex Deo uerba Dei audit* (Iob 8, 47). *Mortui resurgunt* set non solum suscitantur ut moriantur iterum, set cum Christo sic a morte resurgunt |10ra| ut de cetero non moriantur. *Pauperes euangelizantur*, set omnibus hiis paratis paratus est obedire consiliis et omnia mandata custodire⁵ et carnalia relinquere propter Christum. Tunc signa sunt quod Saluator uenit ad eum et loquutus est ei in corde. Set quia non est secutus, ideo adhuc restat dubitatio si ueniet in fine. Ideo necessaria est perseverantia usque ad punctum mortis de quo autem homo est incertus. Ideo ad hoc potest querere : *tu es qui uenturus est etc.*, quod bene ostendit⁶ Iohannes qui, sciens eum iam uenisse in mundum, adhuc querebat utrum ipse dignaretur ad inferos descendere, unde Gregorius⁷ : « Sicut pro hominibus nasci dignatus es, an etiam pro hominibus mori et ad inferos descendere digneris insinua, ut qui maiestatis tue precursor extitisti, mortis etiam precursoriam et inferis te

¹ preponerent] preponeret P.

² ipsum] istum *ante corr.* P.

³ dilectionem] dilectionem B.

⁴ figendo] fugentem B.

⁵ custodire om. B.

⁶ ostendit] illa add. P.

⁷ Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri duo*, I, 6, 1 (PL 76, 1096A).

uenturum nuntiare, quem iam uenissem in mundo nuntiaui. » Sic adhuc dubitamus utrum in fine ueniat ad nos liberandum uel dampnandum. Ostendit permanens suppositum, *tu es*, pretendit aduentum dispostum, *qui uenturus es*, extendit se ultra propositum, *an alium expectamus*. Gallice : il est¹ nostre ferme estable que put longement sustenir, et enquere chose covenable que il est ordeyné avenir, et conert se chose doutable si il s'en doyt a autre tenir.

[I] Circa primum sciendum quod propter firmitatem uocatur a Paulo *petra* (I Cor. 10, 4). Petra autem erat Christus² quia totum edificium spirituale fundatur [10rb] super eum, unde non dixit : « Tu uadis uel fluis », set *tu es*. Nunc est ita quod quanto petra solidior, tanto plus leditur offendens in eam, et adhuc amplius si cadat contra eam, set maxime quando oneratus³ est. Set quando petra cadit super eum, tunc totus quassatus est. Omnis qui peccat offendit in salutem que est lapis, iste non solum offendit set cadit in mortem et quanto peccat⁴ magis, tanto plus ponderat et deterius cadit. Set in fine lapis cadit super eum per illam duram sententiam, tunc *qui fuit lapis offensionis erit petra scandali* (I Pe. 2, 9) et de isto casu non resurget quis, set iste idem lapis est refugium penitentium et qui tangunt⁵ eum affectu, curantur ab infirmitate peccati et sustentantur ne cadant et protegantur. Unde *factus est eis in caput anguli*, ideo in Ps. (89, 1) : *Domine, refugium factus est nobis a generatione in generationem. Priusquam montes nascerentur aut gigneretur terra et orbis a seculo et in seculum tu es Deus*, et sequitur : *omnium superuenit mansuetudo et corripiemur*. Qui male tractatur in curia inferiori habet refugium ad superiorem. *Misericordia superexaltat iudicium*, Iacob 1 (2, 13). Ideo si times iudicium, ueni ad istum qui facit misericordiam : *tu exsurgens misereberis Syon* etc. (Ps. 101, 14). Facta autem tibi misericordia, tunc secure poteris expectare iustitiam, quia meritum eius fuit tantum quod in quolibet opere meruit tibi donum quod erat Dei et hominis, ideo ex condigno propter meritum eius penitens expectat premium, set uirtus passionis non se extendit extra patientem, quamvis [10va] actio se extendat, sicut patet ad sensum. Unde operarius bene percutit lignum quod distat a se set nisi quis coniungatur, saltem corde non compatitur. Virtus autem passionis uenit cum passione, habita misericordia per iustitiam reddetur tibi uita eterna, sic non erat ante aduentum, unde respondebat eis iustitia, set in Gen. (30, 33) dicitur⁶ : *respondebit mihi iustitia mea quando placet tempus aduenit*, unde Ps. (31, 7) : *tu es refugium meum a tribulatione que circumdedidit me et alibi quantum firmamentum meum et refugium meum es tu*, et hoc de generatione, scilicet de patre solo in generationem de matre Virgine, tu dicis : « Ista misericordia et iustitia non durabunt » ; falsum est. *Priusquam* etc. Sequitur : *a seculo et in seculum tu es Deus* (Ps. 89, 2), quia omnis motus est propter quietem et omnia sunt in motu, preter Deum qui eternus est. Ideo non debemus sistere in creatura que

¹ il est] ille *B.*

² Christus] petra *B.*

³ oneratus] honoratus *B.*

⁴ peccat] peccatum *P, B.*

⁵ tangunt] tanguntur *P.*

⁶ dicitur *om. B.*

continue currit, set tendere in Deum qui uere est. Unde et creatura tamquam fidelis¹ non uult hominem receptare uolentem in ea requiescere, ymmo ad fastidium si diu et frequenter offeratur eadem, unde ea abutuntur qui in ea quiescunt. Unde Ps. (101, 26) : *initio tu Domine terram fundasti* etc., animi tui non defficient. Tu dices : « Non possunt in eo quiescere uel pacem inuenire, quia nimis offendunt », quoniam sequitur : *omnes dies nostri defecerunt* (Ps. 89, 9). Si consideraret homo, non inueniret post usum rationis habitum in quo non defecisset in aliquo, set superuenit non solum mansuetus qui potest in aliquo turbari, set mansuetudo que turbationem recipere non potest. Nota quomodo ad penitentiam pueri [10vb] gratie si ferocitatem² ponit homo [et] falsitatem animi, quod non faceret ad preces multorum, et ecce ille puer regius plenus gratia et ueritate : *ecce rex tuus uenit tibi mansuetus*, Matth. 9 (21, 5). *In mansuetudine suscipite inusitum uerbum*, Is. (Iacob 1, 21). Tu Domine cui humilium semper et mansuetorum placuit deprecatio, set non est ita puer quin sciat si tu es plene correctus³, ideo sequitur *et corripiemur*. Sicut homo qui generosi est animi, facilius corripitur dulcedine quam flagello, sic Deus non potestate set amore, qui omnia uincit in mansuetudine. Qui enim uinci non potest potestate, solum uincitur amore, unde fatui sunt peccatores qui pugnant contra eum. Sapientes penitentes qui misericordiam et caritatem et mansuetudinem deprecantur, tales sibi subiectos illuminat ; sicut liber correctus⁴ dignus est illuminari, sic isti, ut in eis uideantur alii tamquam in exemplari, iste bene correctus *quantum tu illuminas lucernam meam Domine* etc. usque : *disciplina tua correxit me in finem* (Ps. 17, 29. 36).

[II] Circa secundum, nota quod non esset homini perfecte honor suus redditus nisi Deus eum saluasset, quia salutis sue ratione debitor esset angelo uel homini, si quis horum fuisset redemptor, cum tamen in statu innocentie soli Deo debitor existeret. Iterum contingit quod opus subtile non potest reparari si destruatur, nisi ab illo qui habet apud se exemplum. Filius Dei est ymago ad cuius similitudinem homo factus est, set per peccatum destructum est [11ra] opus illud. Ideo debuit per ipsum reparari, quod et factum est. Nam nocte uenit cum luce et ibi fecit tactum subtilissimum in matris castitate seruata, ideo quia omnia bene fecit, meruit et a Deo patre et hominibus honorari. Dan. 7 (7) : *aspiciebam in uisione noctis*. Nox est incarnatio, quando latet sol iustitie sub terra carnis, in nocte ista debent retrahi omnes sensus nostri ab uanitatibus. Ideo uoluit nasci de nocte, quando omnia sunt in silentio. Christus occupauit omnia talia. *Custos quid de nocte* etc. in Ysa. (21, 11), unde patet quod aspectus et affectus ad sensibilia retrahit nos a salute, et sequitur (Dan. 7, 13) : *et ecce eum nubibus celi quasi filius hominis ueniebat*. Sicut mediante nube uidetur lux solis, sic mediante homine bono ostendit Deus radium sue bonitatis per opus uirtutis et per meliorem ostendit perfectius, et sic ascendendo donec ueniatur ad illam cum qua processit non solum opus salutis set ipsem Saluator, tectus nube humanitatis. *Solem nube tegam* (Ez. 32, 7), *uidebunt filium hominis uenientem in nube*,

¹ fidelis] creatori add. B.

² ferocitatem] deferocitatem P, B.

³ correctus] correptus B.

⁴ correctus] correptus B.

Luc. 21 (27), set eam integrum custodiuuit, ex quo patet quod lubrici non habent partem in hoc aduentu, nisi per gratiam [et] continentiam redeant. *Venit filius hominis querere et saluare quod perierat*, in Luc. (19, 10). Respexerunt prophete per mundum et uiderunt omnes filios hominum, set postquam fixerunt aspectum in luce huius noctis, nuntiauerunt eum filium hominis. Sequitur : *usque ad antiquum dierum perueniam* (Dan. 7, 13). Cum sciret Deus quod totus affectus |11rb| hominis tendit in salutem, uolens habere corda hominum, posuit salutem nostram iuxta se, ad suam scilicet dexteram, uolens quod semper habeamus oculos cordis ad se. Ex hoc patet quod illi nihil habent in salute qui ibi non habent oculos cordis, quia *ubi thesaurus ibi est cor* (Luc. 12, 34), set illi qui querunt¹ diuitias illius, ibi semper sunt [in] corde et illud regnum in corde eorum. Perfecte *peruenit in uos regnum Dei* in Luc. (Matth. 12, 28). Sequitur : qui dedit ei potestatem simpliciter, scilicet quod nullus potest fugere. Alii non habent nisi participationem et honorem, nulli alio debetur honor totus quia nullus aliis habet uirtutem totam cui honor debetur et regnum. Ecce, regnum est in manu pueri, cuius qui habet curam percipit fructus regni. *Potestas eius potestas eterna que non auferetur et regnum eius quod non corrumpetur*, Dan. (7, 14). Et omnes populi qui scilicet uiuunt sub lege sua², aliquando non sunt de regno tribuque que scilicet uinculo spirituali cognationis attinent ei, et lingue que scilicet sunt bene erudite, ut non loquentur malum seruient ei, pro seruitio dabit regnum, ergo (Luc. 12, 35) : *sint lumbi nostri precincti et lucerne ardentes* etc. Nota totam parabolam et applica.

[III] Circa tertium nota quod [de] duobus propositis, quorum unum est periculosum et indubitate, reliquum securum et utile, secundum est eligendum. Utile est Christum credere uenisse, quod patet per hoc quod multi iam in celo regnant propter meritum fidei, multa mirabilia in fide eius fiunt cotidie, quia *hec est uictoria que uincit mundum, fides nostra* (Iob 5, 4). Quis autem qui |11va| uincit mundum, nisi qui credit quantum Ihesus est Christus filius Dei ? *Hic est qui uenit per aquam et sanguinem*, prima Ioh. (5, 6). Circa tertium, quia euenerunt ea que predicta sunt euenire in eius aduentu, unde securior est status christianorum. Nota de illo qui uoluit examinare³ fidem nostram per iudeum et gentilem quorum uterque dixit eam meliorem post suam. Itaque iudeus dixit quod erat melior lege Machometi, et gentilis, quia erat melior lege iudeorum, quia secura est, ideo extra eam non est salus. *Non est aliud nomen datum sub celo hominibus in quo oportet eos saluos fieri*, Act. 4 (12). Ideo non est aliis expectandus, non est aliis⁴ adherendum, contra quod faciunt peccatores qui ipsum contempnunt et ad bonum transitorium se conuertunt. Impletum est illud Gen. (49, 10) quod dixit Iacob, benedicens Iudam : *non auferetur sceptrum de Iuda etc.*, ubi glossa Ieronimi⁵ : qui dicunt Christum non uenisse ostendant regem iudeorum de tribu Iuda esse, cum ipsi dixerint : *non habemus regem nisi Cesarem* (Io. 19, 15). Nota quod sicut in genealogia habentur duces et reges de tribu Iuda

¹ querunt] queruntur P.

² lege sua] sua lege B.

³ Exemplum 2.

⁴ aliis] alii P.

⁵ Glossa, I, p. 108.

fuerunt usque aduentum Christi, set tunc translatum est ad alienigenum regnum carnale et spirituale incepit, ex quo patet quod si uolumus Saluatorem uenire ad nos, oportet quod in nobis caro non regnet et spiritus. Iste est qui uenit in spiritu et uirtute. Sequitur (Gen. 49, 10) : *donec ueniat qui mittendus est.* Vedit Deus quod mundus erat nimis tenax, sciens quod per dona acquirere posset eius amicitiam. Ideo uoluit primo mittere, [11vb] quia mundus non misisset primo¹. *Ubi ergo uenit plenitudo temporis misit Deus filium suum etc., Gal. 1 (4, 4).* Sequitur (Gen. 49, 10) : *et ipse erit expectatio gentium.* Gentiles nondum in aliqua lege imbuti de facili ei crediderunt, sic qui non sunt consueti in lege peccati facilius ei obediunt, multo magis qui sine peccato sunt et totaliter se reseruant ei. *Iuste ergo et pie uiuamus in hoc seculo, expectantes bonam spem et aduentum Domini,* ad Tit. (2, 12-13).

¹ primo] ac add. P.

SERMON 4

Deuxième dimanche de l'Avent.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 11vb-13ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 26vb-28ra.

Plan :

Prothème – Comment comprendre l'Ecriture.

Thème – Les vertus de l'attente du Seigneur.

I – Comment les pêcheurs peuvent être sauvés.

II – La conduite à tenir face au péché.

III – Les vertus de l'attente.

F. 11vb : *Tu es qui uenturus es an alium expectamus* (Matth. 11, 3).

[Prothème] Quia nullus potest docere nisi prius doceatur, et Deus docet et per se et per Scripturam et per angelos, Scripture autem non possumus habere intellectum nisi ipse doceat per aliquem spiritum quod per se certius¹ est, ideo autem uelit uenire et docere, possumus querere et dicentes *tu es etc.*, set Apostolus soluit dicens (Hebr. 1, 2) : *locutus est nobis in Filio*, ideo ipsum in principio rogemus, sine quo obscura est Scriptura, set ipse *ueniet qui et illuminabit abscondita tenebrarum* etc. (I Cor. 4, 5), epistula hodierna.

[Thème] *Tu es qui uenturus es*² etc. Persona feruenter alium diligens, cuius presentia est ei delectabilis et absentia dolorosa, computans dilationem modicam moram nimiam, solet prorumpere in uerba dubia de eius aduentu, etsi in corde firmiter teneat quod uenire debeat, et hoc facit feruor cui tediosa est expectatio tam prolixa. In hunc modum antiqui patres expectantes Saluatorem et amantes possunt dicere ista uerba, [12ra] set etsi iam uenit, quia tamen adhuc uenturus est, adhuc quo locum habet, precipue cum *nesciat homo finem suum* (Eccle. 9, 12), utrum scilicet ad eum ueniat ut saluator, sicut uenit in primo aduentu, uel ut dampnator, et sic ut aliis et extraneus ; set Saluator ueniet bonis, scilicet *Saluatorem expectamus Dominum Ihesum Christum*, ad Phil. (3, 20), iudex et aliis malis, sicut dicitur de malo seruo in Luc. (Matth. 24, 50-51) : *ueniet dominus ei hora qua nescit partemque eum ponet cum ypocritis*. Quod dictum est, tales non sunt quod uidentur, sic mali uidentur esse boni et non boni [sunt]. Ecce ergo humilitas demonstrabilis, *tu es* ; propinquitas accessibilis, *qui uenturus es* ; longanimitas dubitabilis, *an alium expectamus*. Gallice : ille note de humilité, et se coneit³ sa procheyneté, et se doute d'estrangeté.

[I] Circa primum, nota quod non oportet superbos ostendere, quia in monstrando excedunt et certe monstra faciunt, de se monstrauerunt, set humiles debent ostendi ut sint aliis in exemplum. Patet

¹ certius] certus P.

² es] an alium exspectamus add. B.

³ coneit] convert B.

quod Deus parum reputat in superbos quos sic exponit, set humiles tamquam thesaurum abscondit, de hiis facit quod uult,¹ accipit eos quando uult, quod bene fuit ostensum in Matth. (14, 25) : *uenit ad eos*, scilicet ad humiles discipulos. Quarta uigilia noctis, ex quo homo peccauerit², facta est nox, set tamen aliqui uigilauerunt ad Christum et fuit prima uigilia usque ad Noe. Tunc incepit secunda et uisio Christi per baptismum saluantis omnia per diluum ; tertia in Abraham qui habuit reuelationes multas, quarta [12rb] in tempore legis et prophetarum, in cuius fine scilicet in mane legis gratie uenit Saluator ad laborantes in mari huius mundi. Sic primo excitatur peccator cum respicit statum suum, secundo cum mentem ad Deum leuat ut remittat, tertio cum detestatur peccatum uel e contrario, quarto quando cum amaritudine confitetur, tunc uenit Ihesus. Sequitur, et ait Petrus (Matth. 14, 28) : *Domine, si tu es, iube me uenire ad te super aquas.* Super mare ambulabat, id est super mundum, quia qui detinetur ab eo per pedem affectionis, aliquando ibi animam dimittit. Super mare ponuntur lucerne ut nauigantes dirigantur. Propter quod Deus posuit lumen sue diuinitatis in testa nostre humanitatis cuius mandata sunt radii, quia mandant : *lucerna est lex et lux* (Prou. 6, 13). Ideo dixit Petrus (Matth. 14, 28-29) : *Iube etc. Et dixit ei : Venite.* Precepto Dei obediunt omnia preter uoluntatem malam, unde uinculum non est ex parte mundi, set ex uoluntate hominis qui inseparabiliter adheret. Unde iustum est ut inseparabiliter adhereat pene mare ut ueniret ad Ihesum. Sequitur (Leu. 11, 25) : *at ille ambulabat super.* Si dulcedini misceatur amaritudo, dum tamen dulcedo uincat appetitum. Sequitur : maior est dulcedo salutis quam quecumque amaritudo penitentie. Ideo non debet affectus retrahi set super amaritudinem ambulare ad Saluatorem nec debent³ corda hominis rumpi per impatientiam, quia statim sequeretur periculum, unde « laborantibus discipulis, affuit Ihesus post resurrectionem⁴ ». In Ioh. legitur⁵ (Matth. 14, 30) : *et cum cepisset mergi etc.* [12va] quia anchora fidei et spei debet esse fixa in eo qui est portus salutis, et sicut quanto ille qui plus est in aqua uidetur ad se trahere palum fixum in terra, sic quanto plus nitimus⁶ ad nos Christum trahere, tanto plus ad eum accedimus et temporalia relinquimus, exemplo beate Lucie que rogauit matrem quod sponsum non nominaret ei set que datura erat ei eunti ad incorruptionis sponsum, rogauit ut daret eunti ad corruptum actorem.

[III] Circa secundum nota quod Deus uidens hominem habere curam precipuam de propriis, ordinavit se uenturum ut sic noster esset et eius bona nobis fierent propria, Is. (60, 5) : *tunc uidebis*, quia perfecta claritas uenit, nam per lucem doctrine omnia peccata ostendit, in cuius signum (Luc. 2, 9) : *claritas Dei circumfulsit pastores*, quia undique uiderunt unde⁷ peccata ueniant, set sunt

¹ uult] ei add. P.

² peccauerit] peccauit B.

³ debent] debet P.

⁴ Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri duo*, II, 24, 2 (PL 76, 1184D).

⁵ legitur] sequitur B.

⁶ nitimus] nitimus P, B.

⁷ uiderunt unde] uidere undique P, B.

aliqui qui tantum grossa uident, scilicet carnalia. Causa¹ est quia antiquati sunt in peccatis in tantum quod subtilia peccata non considerant, uel propter consuetudinem non reputant ea peccata, *uide uias tuas in conuale scito quid feceris*, Ier. (2, 23), uias tuas in plurali. Sequitur : *affluens* (Cant. 8, 5). Quando arbores steriles per naturam fructificant, tunc est affluentia. Hiis diebus uirgo concepit et peperit que sterilis per naturam. Ex quo patet quod Deus paratus est facere fructum per eos qui hactenus steriles fuerunt, si uolunt honorem gratie et deuotionis suscipere, cum feroce caritatis exhibere in dono, in dono filii qui datus est nobis ut accendatur ignis caritatis in cor|12vb|dibus nostris et sic affluamus bonis. Eccle. (2, 1) : *uadam et affluam deliciis et fruar bonis*, fructum dulcem diligit puer iste. Sequitur : *et mirabiliter* (Is. 60, 5) quippe, quia solebat descendere per culpam, non solum descendit set ascendit usque ad Deum, quia homo est Deus. Set qui uult ascendere, necesse habet fugere omnia que pedes reddunt grauiores, scilicet peccata que ponderant in affectionibus, accipere uirtutes ut de uirtute in uirtutem ascendens ueniat ad hoc ut uideat Deum deorsum² in Syon. *Tunc uidebit quantum innumerabilis in altis Dominus*. Sequitur (Is. 60, 5) : *et dilatabitur cor tuum* ut plus possit de Deo capere. Sunt quidem qui crescunt sicut linea tantum in longum quia in longitudinem dierum, non in profunditate humilitatis, nec in latitudine caritatis, nec in altitudine contemplationis. Alii sunt cutis super carnem, scilicet in desideriis carnalibus crescentibus in eis secundum processum etatis. Alii sunt pellis que, cum dilatatur in una parte, stricte efficitur in alia. Quidam si sunt continentes, sunt auari ; si liberales, sunt ribaldi. Set Deus ueniens uult totum implere, ideo uult quod totus homo dilatetur, os in eum³ patet. Patet (II) ad Cor.⁴ (6, 11) : *cor meum dilatum est*, ut saltem nihil in eo requiescat⁵ odiosum. Sequitur (Is. 60, 5) : *quando conuersa fuerit ad te multitudo maris*. Nullus fastidit aspicere rem aliquam, quamdiu cum admiratione aspicitur. Mirabile esset si mare siccum esset et esset mater aquarum, sicut Maria per naturam mater est aquarum gratie. *Mirabiles elationes maris*, Ps. (92, 4). Sic homo gratis nulla habebit in |13ra| futuro adeo quia pro modica⁶ amaritudine. Sequitur (Is. 60, 5) : *fortitudo gentium uenerit tibi*. Qui bene se tenet⁷ ad eum non concutitur ut cadat set ita fortiter tenet eum quod non mutat statum. Sic Luciam tanto pondere fixit Spiritus Sanctus ut immobilis permaneret. Nota hystoriam.

[III] Circa tertium, nota quod ideo uult nos diu expectare, quia desideria dilata crescunt, ad quorum augmentum sequitur augmentum meriti, ideo totum ad bonum nostrum, Habac. 3 (2, 3) : *apparebit Dominus in faciem et non mentietur*. Plures fuerat citatus per desiderium antiquorum, tandem apparuit ut queremus ab eo salutem : *apparuit benignitas* etc. Sequitur (Habac. 2, 3) : *si moram fecerit expecta eum*, sicut qui expectant prandium ieiuni, set aliqui expectant eum sicut

¹ causa] que *B.*

² deorsum] deorum *P.*

³ in eum] meum *B.*

⁴ Cor.] nos *P, B.*

⁵ requiescat] requeat *B.*

⁶ modica] a exp. *P, B.*

⁷ tenet] tenentur *P*, tenent *B.*

monachi abbatem : *quia ueniet et non tardabit* (Habac. 2, 3), sicut Lucia cuius anima non exiuit de corpore donec uenientibus sacerdotibus accepit Christum in sacramento.

SERMON 5

Troisième dimanche de l'Avent.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 13ra-14vb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 179rv.

Plan :

Thème et division – Le pouvoir de Dieu. Comparaison entre Dieu et un archer.

I – Chacun sera puni selon ses péchés et ses mérites. Comparaison entre la conscience et un livre.

II – Le juge suprême prendra une apparence humaine.

III – Dieu, de même que le *visitator* dans un couvent, usera de son autorité.

F. 13ra : *Tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube cum potestate magna et maiestate* (Luc. 21, 27).

[Thème et division] Quantumcumque arcus sit fortis, durus et rigidus et ad sagittandum paratus, ille qui cordam arcus ad se uersam uidet, in nullo timeret, set qui uidet arcum ad sagittandum paratum et uidet sibi oppositam faciem arcus, non est bene tutus. Qui ergo posset tantum facere quod¹ posset se retrahere ita prope sagittantem quod semper haberet cordam illam ad se, nihil haberet timere, quia arcus nullo modo posset eum ledere. Hoc ideo dixi quia iram, uin|13rb|dictam uel iustitiam erga peccatores Scriptura comparat arcui etc. (Ps. 7, 13), ut habes in sermone² *Nunc clamemus* (I Mac. 4, 10). Tunc resumas : arcus fortis, durus et rigidus quem Dominus tetendit contra peccatores est fortis potentia, rigida iustitia, et dura uindicta. Ps. (89, 11) : *quis nouit potestatem ire tue* etc. Corda huius arcus est misericordia, miserorum corda. Sagittarius qui tenet in manu sua arcum istum et cordam est filius Dei habens similem potentiam et misericordiam. Ps. (61, 12) : *semel locutus est Deus duo hec audiui* etc. quia potestas Dei est et tibi, Domine, misericordia. Sagittarius iste aliter ostendit arcum suum in primo aduentu in carne, aliter ostendet in aduentu secundo in iudicium. In primo enim aduentu non ostendit faciem arcus set cordam, non fortitudinem sue potentie set dulcorem misericordie. *Apparuit benignitas et humanitas*, usque : *secundum misericordiam suam saluus nos fecit* (Tit. 3, 4-5). *Non enim uenit ut iudicet mundum* etc. (Ioh. 12, 45). Que est causa quare peccatores non timent hodie arcum diuine iustitie ? Certe quia uident faciem arcus uersam ad se. Tantum enim presumunt de diuina misericordia quod non timent eius uindictam, et ista est summa fatuitas, quia sagittarius ille in secundo aduentu ad iudicium conuertet ex opposito arcum suum, retrahens ad se cordam sue misericordie et ad nos uertens faciem arcus, ostendens auctoritatem sue potentie et iram uindicte. *Tunc enim loquitur ad omnes in ira sua* etc. De terrore illius diei dicit Anselmus³ : « O angustie ! Hic erunt peccata accusancia, |13va| hic terrens iustitia ; subtus patens infernus, desuper

¹ quod] qui P.

² Sermon 105.

³ *Manipulus florum*, Judex siue iudicium AK (2) (Anselmus de similitudinibus mundi) ; Anselmus Cantuariensis, *Meditationes et orationes*, meditatio 1 (F. Schmitt, 1946, p. 78-79).

iudex iratus, intus conscientia urens, foris mundus ardens. Latere erit impossibile, apparere intollerabile. Illud desiderabo et nusquam erit, illud expectabor et utrique sequitur. » Non ergo respiciamus solam cordam arcus set faciem, id est non presumamus tantum de misericordia Saluatoris quin timeamus iram iudicis, quantum ostendet tunc in die iudicii, *tu terribilis es et quis resistet tibi ex tunc etc.* (Ps. 75, 8). Figuram habemus ad omnia, Gen. 9, et signum sensibile in natura. Dicit enim ibi Dominus : *apparebit arcus meus in nubibus et erit signum federis mei etc.* (Gen. 9, 14-15). Arcus qui nunc appetat in nube sic est situatus quod duo cornua in quibus debet poni corda respiciunt terram, set facies arcus uersa est ad celum, et istud est signum quod in uita ista misera non uult sagittare populum. Dicit autem quidam quod in die iudicii arcus in nube habebit oppositum situm, habens faciem uersus terram et cordam uersus celum in signum quod Deus tunc sagittabit peccatores. De primo aduentu huius sagittarii in quo ostendit nobis cordam arcus sui, id est mansuetudinem misericordie, loquitur euangelium¹ quidem presentis dominice : *ecce rex uenit tibi mansuetus* (Matth. 21, 5). Set de aduentu secundo ad iudicium, quando arcus apparebit in nube uersa facie ad terram, quando scilicet Christus ostendet peccatoribus suam iudicariam potestatem ; loquitur presens euangelium dicens : *tunc, scilicet in die iudicii, uidebunt filium hominis etc.* ubi |13vb| tria notantur circa diem iudicii. Primo in die illa, quilibet precipiet penam quam meruit : *tunc uidebunt* ; secundo iudex se ostendet cum nostra natura humana : *filium Hominis uenientem in nube*, oculos aperit quos cl[audit]. Tertio utetur auctoritate superna, *cum potestate magna † claudit.*

[I] Circa primum nota quod qui uidet librum solum a foris in exteriori coopertura non potest scire per hoc qualis sit liber in interiori scriptura. Frequenter enim contigit quod coopertura est ualde pulera et nihil ualet interior scriptura ; et econtrario, quandoque scriptura est ualde bona et parum ualet coopertura. Ergo antequam liber uideatur apertus, nullus potest scire an sit bonus uel malus liber in quo fuerit scriptura. Liber noster est conscientia nostra, scriptura merita uel demerita, unde Pe. 27 (Ier. 17, 1) : *peccatum nostrum scriptum stilo ferreo in ungue adamantino exaratum super latitudinem cordis nostri.* Exterior coopertura huius libri est exterior conuersatio corporalis. Qui autem hanc solam uidet, non potest ex hoc cognoscere perfecta cognitione² qualis sit liber conscientie uel cordis, quia frequenter exterior conuersatio et etiam facies corporis est ualde pulcra ubi liber cordis est felicissimus et conscientia pessima et plena uitiis [et] deffectibus huius libri. In hac uita presenti solus Deus uidet interiorem scripturam, homo uero solam cooperturam. *Homo enim uidet ea que parent, Deus autem intuetur cor* (I Reg. 16, 7). Ideo in presenti seculo nescitur quis sit |14ra| bonus uel malus, quis sit dignus pena uel premio, set in die iudicii libri conscientiarum erunt aperti, unde Dan. (7, 10) : *iudicium sedet et libri aperti sunt etc.* Tunc quilibet uidebit in libro conscientie alterius an sit bonus uel malus, unde Apostolus (I Cor. 13, 12) : *uideo nunc per speculum etc.* Unus non cognoscit hic alium perfecte, *tunc autem facie ad faciem* (I Cor. 13, 12) quibus uidebit alterius conscientiam.

¹ evangelium] evangelia P.

² perfecta cognitione] perfecte cognitio P.

Consciencia enim erit facies interioris hominis quia, sicut homo exterior non cognoscitur perfecte nisi per faciem, sic nec interior nisi ab illo qui uidet conscienciam. *Nunc cognosco ex parte tunc autem cognoscam sicut et cogitus sum* (I Cor. 13, 12). Deberet ergo nunc facere quilibet nostrum sicut facit prudens clericus qui de capite suo compilauit aliquem librum. Antequam pupplicet librum et aliis communicet ad studendum, primo librum studet per se ipsum et diligenter uidet si est aliquid corrigendum, tunc librum bene correctum communicat aliis, et sibi cedit ad gloriam quod librum talem compilauit ; econtra cederet sibi ad confusionem si liber ab eo compilatus inueniretur falsus et defectuosus. Librum conscientie tue tu ipse de capite tuo compilasti, formasti enim tibi conscienciam malam uel bonam sicut uoluisti. Liber tuus in die iudicii debet omnibus pupplicari, ergo si nolis confundi coram Deo et angelis, studeas diligenter in libro conscientie tue, corrigas eum si est aliquid corrigendum. Certus enim sum quod non est liber in mundo in cuius studio homo tantum posset proficere sicut in libro conscientie proprie, set fatui sunt multi qui uolunt |14rb| corrigere aliorum conscientiam, non uidentes proprios deffectus. *Quid autem uides festucam in oculo fratris tui etc.* (Matth. 7, 3). Si liber tuus, quando pupplicabitur, inueniatur correctus a sordibus peccatorum, non erit tibi ad confusionem, set potius ad laudem. *Illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium tunc laus erit uniuersitate a Deo,* I Cor. 4 (5).

[III] Circa secundum nota quod iudex debet se sic patenter ostendere quod uideatur ab omnibus quos habet. Christus iudex est noster. *Potestatem dedit ei iudicium facere quia Filius hominis est,* Ioh. (5, 27). Ideo in forma humana iudicabit ut uideatur a malis a quibus diuinitas non posset uideri. Item si iudex exercendo officium suum et pro bono communi laborando sustinet ab aliquo lacerante sibi turpiter uestem, talis iudex in testimonium iniurie et ad condemnationem iniuriantis omnem uestem laceratam in loco iudicii [monstrat]. Filius Dei laborando pro utilitate communi, exercendo opus nostre salutis quod erat officium Saluatoris, tantam iniuriam sustinuit quod uestis sua, scilicet caro sua sanctissima et mundissima qua¹ nobis induatur, cum flagellis, spinis, lancea et clavis lacerata fuit. Ideo ad iudicium ueniens, in forma humana apparebit in qua uidebunt cicatrices uulnerum. *Videbunt enim in quem transfixerunt* (Ioh. 19, 37). Et hoc in testimonium iuste damnationis malorum.

[III] Circa tertium nota quod hec est consuetudo inter religiosos : quando uisitator aliquis mittitur ad dirigendum et corrigendum deffectus, non utitur auctoritate |14va| et pietate sua ubique. In omni enim loco, excepto capitulo, ipse est inter alios sicut par et socius, set quando tenet capitulum, sedet in loco iudicis et utitur sua auctoritate, puniens omnes accusatos coram se. Propter hoc prudens religiosus uolens capitulum uisitatoris euadere, accusat seipsum coram proprio priore in capitulo cotidiano, tunc uisitator nihil habet cognoscere in eo. Scriptura comparat aduentum filii Dei aduentum uisitatoris missi ad corrigendum et dirigendum, Luc. (1, 78) : *per uiscera misericordie etc., usque ibi* (1, 79) : *in uiuam pacis.* Dicit *uiscera misericordie*, quia membra exteriora potest homo ostendere sine

¹ qua] quam P.

periculo mortis, set uiscera pandere non potest sine graui periculo. Deus ante incarnationem uerbi numquam ostenderat uiscera misericordie sue, quia numquam exposuerat se morti pro homine, set ex quo carnem assumpsit, ex tunc non fuit sine periculo mortis. Ideo dicit *per uiscera misericordie, in quibus uisitauit nos, oriens ex alto* (Luc. 1, 78). Set uisitator ille capitulum suum tenebit in die iudicii rigidissimum et durissimum in quo accusatos coram se puniet, iuxta illud Ysa. (27, 1) : *in die illo uisitabit Dominus in gladio suo duro, grandi et forti.* Visitator iste autem in primo aduentu suo, quia non uenerat ad tenendum capitulum, fuit inter fratres sicut unus eorum, Gen. (37, 27) : *caro enim et frater noster est.* Fuit inter nos non solum sicut par et socius, ymmo sicut minister et seruus. *In medio nostrum sum sicut qui ministrat* (Luc. 22, 27). *Non* |14vb| *uenit ministrari set ministrare* (Math. 20, 28). Christus extra locum capituli noluit ostendere magnitudinem potentie sue, set in capitulo sedens *in sede maiestatis sue* (Matth. 19, 28), et *congregabuntur ad eum omnes gentes et separabit* etc. (Matth. 25, 32). Tunc dicet hiis qui a dextris eius erunt : *uenite* etc. Tunc dicet hiis qui a sinistris [erunt] : *ite maledicti* etc. (Matth. 25, 41). Tunc nota, propter dextrum et sinistrum, de lineis non parallelis, et figuram de benedictione Iacob cancellatis manibus, ut habes in sermone¹ *Nunc clamemus*, et in sermone² *Benedixi ei* etc. (Is. 51, 2). Postea subiungas quod prudens uolens uitare capitulum uisitatoris, accusat se ipsum in capitulo cotidiano, id est cotidie accusat se ipsum et iudicat se coram Deo et suo confessore, et sic euadit durissimum capitulum, unde Apostolus (I Cor. 11, 31) : *quod si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur.* Facias finem sicut uis.

¹ Sermon 105.

² Sermon 49.

SERMON 6

Quatrième dimanche de l’Avent.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 14vb-17rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 36ra-38rb.

Plan :

Prothème – Nécessité de la lumière.

Thème – Dieu met en lumière les péchés des hommes. Sa venue procure trois bénéfices.

I – Qualités de la lumière divine.

II – La volonté de Dieu reste cachée, mais il faut tout de même craindre son pouvoir.

III – Nécessité de la lumière pour trouver son chemin.

F. 14vb : *Illuminabit abscondita tenebrarum*, (I) Cor. 4 (5).

[Prothème] Sicut nullus, quantumcumque acutum uisum habeat et librum bene scriptum, non potest bene legere sine lumine, sic in uerbis Scripture non potest homo proficere, quantumcumque ea in ore uel aure habeat, sine lumine gratie. Modo ita est in ecclesiis religiosorum quod¹ sacrista de lumine prouidere debet. Ideo debemus ad illam recurrere que se ipsam tamquam sanctuarium Spiritus Sancti custodiuit, que sanctuarium sanctuariorum mundo monstrauit, trahens illud de sinu occulto Patris, ut nobis prouideat |15ra| de lumine, illud sanctuarium nobis ostendente, alioquin non possemus illud cognoscere nec de ea cogitare aut loqui, et quia ipsa numquam deficeret quin faceret quod deberet, ideo cum fiducia adeamus, et ipsa *illuminabit* etc. Hoc enim indicat nomen suum, nam Maria illuminata uel illuminatrix interpretatur². Vide officium claritatis : *illuminabit*, quod purgat uitium obscuritatis : *abscondita tenebrarum*. Office de clarté qui purge de obscurité.

Circa primum nota quod aurore officium est primum illuminare in mane, cuius tantum lumen a sole et indicat ortum solis ut eum precedat³, sic aurora Maria dat lumen gratie, ipsum impetrando a sole iustitie, quod precedere debet in mente ut ibi sol oriatur. Ideo surgere debemus ad hanc auroram. Ideo *surge qui dormis et exurge a mortuis et illuminabit tibi Christus* (Eph. 5, 14).

Circa secundum nota quod nisi illud lumen ueniat, non possimus misterium Scripture cognoscere, quod latet sub littera sicut in abscondita⁴. Unde quia iudei non recipiunt istud lumen, non intelligunt spiritualem sensum. Ideo ut intelligamus, necessarium est nobis lumen illud. *Exortum est lumen in tenebris lumen rectis. Populus qui ambulabat in tenebris uidit lucem magnam* (Ps. 9, 2).

¹ quod om. B.

² Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

³ precedat] precedit P.

⁴ abscondita] abscondito B.

[Thème] *Illuminabit abscondita tenebrarum.* Communiter dicitur quod amor se celare non potest, quod satis patet per dicta Gregorii¹ quia « amor Dei numquam est otiosus. Operatur enim magna si est. » In hoc autem maxime demonstratur quod homo qui amat procurat² bonum |15rb| ei³ quem amat et impedit eius malum. Nullum tantum bonum potest homini inesse quantum est bonum diuinum, nec tantum malum quantum est malum culpe, quod in tantum nocet quod Deum adimit. Ergo ad hoc debet uerus amicus tendere ut peccatum ab amico, qui est omnis proximus, tollatur. Nullum autem malum potest uitari nisi cognoscatur, ideo proximum illuminare, ei suum defectum reuelando. Post cuius reuelationem si non penitet, nouo peccato peccat quia de nouo placet quod displicere debet, quia cum peccato mortali Deum non habet quem uidetur contempnere, qui de peccato quod auertit se habere non displicet. Propter hoc Christus nos dolens peccata habere uult nobis ea reuelare, ueniens in mentem quam illuminat, dum ei culpam suam ad memoriam reducit. Sic ueniens in mundum ipsum illuminauit, ostendens eum esse defectuosum, set multi sunt antechristi contrarii Christo qui, si sciunt malum in proximo, reuelant aliis et sic claram famam quam prius habebant obscuram reddunt, quibus eterna dampnatio impetratur. Ysa. V (20) : *ue qui dicitis malum bonum et bonum malum ponentes lucem tenebras et tenebras in lucem.* Econtrario Christus modo in secreto conscientie reuelat, antequam confundamur in publico in die iudicii. Malum signum est in homine quando se non cognoscit. Unde Christus fleuit super Iherusalem, Lu. XIX (42), et *quidem in hac die, que ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis.* Nota hystoriam. Ex hoc aduentu nobis uenient tria beneficia. Gressus |15va| rectificabitur lucerna preuia, *illuminabit* ; uisui reuelabuntur que non sunt ei preuia, *abscondita* ; ab hiis mentes purgabuntur que nos ducunt per deuia, *tenebrarum.* Et hec tria facit lumen in uia, pedes dirigit et occulta uisui porrigit.

[I] Circa primum nota : Deus non fecit omnia membra oculos set fecit in homine pedes et manus et naturam ita tamen quod pes debet totum corpus portare et oculus dirigere. Sic ergo si oculus uidet periculum et ulro se iungerit, iuste periclitatur, sic cum homo in se habeat iudicium boni et mali per oculum rationis, si ponit pedem affectionis, iuste periclitatur, ut iam merito, etsi non quoad penam, sit cum malis angelis, sicut bonus est cum angelis bonis, etsi non quoad gloriam. Ideo posuit lucem diuinitatis in testa nostre humanitatis ut ueniret ad querendum perditos. De hoc Luc. I (1, 78) : *uisitauit nos oriens ex alto.* Aliquando contingit quod iuuenes in aliqua religione nimis laxant se et religio est in periculo subuersionis et tunc antiqui qui zelum ordinis sui habent, clamant ad superiorem ut eis mittat uisitatem qui religionem reformat ; qui motus eorum clamoribus mittit eis quem petunt, aliquando cum plenitudine potestatis, per quem possit delicta corrigere et aliquando remittere penam eis quos correctos⁴ perspexerit. In quolibet nostrum est quasi quedam religio cuius regula est ratio,

¹ *Manipulus florum*, Opus F et Otiositas F (Gregorius in omelia) ; Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri II*, II, 30, 2 (PL 76, 1221B).

² *procurat*] procuret P.

³ *ei*] eius P.

⁴ *correctos*] *correctus* P.

quare debet regere per regulam quam sic habet, et uoluntas debet mouere |15vb| secundum regulam sibi impositam. Sensus sunt quasi nouicij noua semper querentes, et aliquando preter ordinem exeunt limites sibi datos et rumpitur religionis uinculum quo debet homo astringi in se et cum Deo. Ideo intellectus per orationem et affectus per desiderium clamare debent ad Deum qui mittit istum filium uisitantem cor, penitentem et reuertentem. « Unde eu sursum Agnus mittitur¹ » etc. Ideo Ps. (105, 4) : *uisita nos Domine in salutari tuo*, et alibi (Ps. 88, 33) : *uisitabo in uirga iniquitates eorum* etc. usque (88, 34) : *Misericordiam autem non dispergam ab eo*. Set si ostenderet uisitator potestatem in capitulo et alibi malum exemplum, nihil esset, ideo ex alto ueniens altam uiam tenuit ut in altum nos suo exemplo duceret, contra aliquos qui potestatem suam ostendunt in uita carnali, non in celesti, a qua petebat Ps. (143, 7) liberari : *emitte manum tuam de alto*. Exemplar debet in alto poni et de alto uenit lumen. Ideo sequitur (Luc. 1, 79) : *illuminare hiis qui in tenebris*. Mundus non ponit lumen suum super bonos, ymmo occultat eos quantum potest. Homines enim qui uiuunt secundum mundum non uident libenter uiros sanctos, sunt enim quasi clavi in oculis eorum. Set quanto plus tenebrosi sunt apud mundum, tanto magis illuminantur a Deo et² *sic lux in tenebris lucet*, Io. primo (1, 5). Causa est quia mundus bene uidet quod lumen candele nihil est in respectu luminis solis. Sic uita malorum nihil est, quia peccatrix et³ contraria uite bonorum et uita bonorum magis lucet |16ra| coram contraria uita malorum, quia hec est contrariorum contradictio. Ideo Ps. (138, 12) : *quia tenebre non obscurabuntur a te et nox sicut dies illuminabitur*. Similiter ubi sunt tenebre quo ad Deum sunt peccata, ubi ponit mundus lumen suum ; unde uidebitis maius lumen mundi plus de tenebra peccati, aliquando non semper. *Sicut tenebre eius, ita et lumen eius* (Ps. 138, 12). Tales uenit Christus illuminare. Unde sequitur : *et in umbra mortis sedent* (Luc. 1, 79). Umbra similitudinem corporis habet nec est illud, sic penitentia similitudinem mortis habet⁴, non est mors, ymmo uita. *Quasi morientes et ecce uiuimus*, (II) Cor. (6, 9). Set quanto sol est magis deorsum, tanto maior est umbra, sic, quia sol iustitie modo est secundum memoriam ecclesie in ympnis, ideo penitentia debet esse maior. *Mortui enim estis et uita uestra abscondita est cum Christo*, ad Colo. III (3, 3). Tales illuminat Christus. Sicut pelvis est magis clarior, quanto magis fruatur. Ideo *habitantibus in regione umbre mortis lux orta est eis*, Ysa. IX (9, 2). In umbra agnoscit homo statram suam, sic in penitentia statum. Umbra sequitur quando sol est ante faciem, sic penitentia eum qui ante oculos mentis habet Deum. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, opera enim illorum* etc. (Apoc. 14, 13) et hoc lumen dirigit, ideo sequitur (Luc. 1, 79) : *ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis*. Via superborum non est pacifica set uentosa et ficta in alto, ymmo omnia in uentum conuertuntur et in tantum non habet pacem cum Deo, quia uult auferre quod suum est, scilicet gloriam. Nec uia carnalium, quia cum pedibus inquinatis non |16rb| est quies, sic qui

¹ AH, vol. 51, p. 48, n° 49 (in Adventu Domini, ad matutinas laudes).

² et] lux add. et exp. B.

³ et] in B.

⁴ habet om. B.

affectibus carnalibus¹ inquinati sunt. Nec uia auarorum quia saturitas diuitie non sinit eum dormire, currente bestia per caput suum in cogitatione et affectione ; et si aliquando cogitat bonum facere, talis cogitatio sicut semen pululans cum bestialibus motibus conculcatur, unde non faciat fructum. Set uia per quam itur ad Deum qui est pax nostra, pacifica est, unde homo omnia bona sua per hanc debet in Deum dirigere, quia secura est. Ipse autem tales illuminat et dirigit, in Luc. (11, 36) : si ergo *corpus tuum lucidum fuerit* etc., usque te, non quod intelligit de corpore operum, quod sic fit ut ab oculis uisio, ab auribus auditio, a manibus operatio et sic de aliis partibus, ut fiat corpus morale.

[II] Circa secundum nota quod intentio artificis occulta est in sua mente, donec ostendat eam in opere in quo relucet Deus. Etsi in principio mundi ostendit suam potentiam, suam sapientiam, suam bonitatem in creando, gubernando, ordinando, tamen in recreando [ostendit] adhuc magis potentiam quia in natura corrupta aliquid sibi repugnans erat. Set repugnantia amouit de natura Virginis dum eam sanctificauit, et tunc de illa materia quod uoluit fecit dignissimam Mariam, de qua Spiritus Sanctus immediate operari uoluit et filius sibi carnem uniuit, quem in tantum ductilis fuit ut usque ad Deum duceretur ; noluit per naturam generari, quia natura semper defficiebat. Item in infinitum distancia iunxit matrem Virginem, Deum hominem, faciens quod fuit magne |16va| potentie. In hoc uide mentem Dei ut credas quod te sibi potest et uult coniungere ; sapientiam adhuc plus, quia sapiens mercator reputatur qui per sua recuperat sine detrimento set cum maiori honore, multo magis iste qui perditam naturam sic restaurauit ut homo nihil perderet. Set soli Deo debitor esset, nulli alii obligatur, quod fuisset si per angelum hoc fecisset, set si homo peccauit, homo Deus restaurauit, ymmo homo maior factus est angelis. In hoc uide mentem Dei qui tibi prouidit de modo tue recuperationis per quam tu potes esse maior angelis. Si secundum ordinem sapientie sue uixeris, ostendit et amplius bonitatem quia se ipsum communicauit, inde potest perpendere quantum te dilexit. Igitur potentiam timeamus, secundum sapientiam ordinem et bonitatem appetamus. Istud opus fecit ab angelis puplicari. Unde ad Ephe. IIIc (3, 8) : *michi autem omnium sanctorum minimus*, dans se in exemplum ostendit se nimium sciens quod homines nimis se dilatant. Unde alibi (I Cor. 15, 9) : *ego sum minimus apostolorum* et hoc congrue fit quia « terrena altitudo confunditur, cum celsitudo celestis aperitur », Gregorius² ; propter quod uidens Paulus quod filius Dei factus est exemplum minimum, minoratus paulominus ab angelis maiorauit se. Dyabolus non tenet in carcere suo nisi magnos qui scilicet contra Deum se erigunt, quod fit in quolibet peccato mortali. Humilia te et exibis. *Non egrediemini donec frater uester minimus*, Gen. (42, 15). Minimus enim cum patre est, ibidem minima magis possunt intime |16vb| coniungi. Unde et minimi in tantum coniunguntur Deo quod qui eos tangit Deum tangit. *Quod uni ex minimis meis fratribus mihi fecistis* (Matth. 25, 40) et quia *humilibus dat gratiam* (I Pet. 5, 5). Ideo sequitur (Eph. 3, 8) : *data est gratia hec in gentibus*. Si tu respicias ex parte patris,

¹ carnalibus] qui add. P, B.

² Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri II*, I, 10, 1 (PL 76, 1110C).

constat quod gratis datus est ; si ex parte matris, etiam gratis datus est. Nam sicut¹ terra sine semine iustificat gratis, sic Virgo terra dedit fructum suum quippe quia flos filius eius [est]. Flos autem sine amminiculo² semenis nascitur. Ideo Ps. (84, 13) : *Dominus dabit benignitatem et terra nostra dabit fructum suum.* Sequitur (Eph. 3, 8) : *euangelizare inestimabiles uel inuestigabiles diuicitias gratie Christi.* Si possent pretio³ haberi diuitie⁴ serent optimum tempus. Set non cadunt sub pretio. Ideo pro bona uoluntate habentur et tantum ualent totum quod neccessarium est pro salute. Ephe. I (1, 6) : *gratificauit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Secundum diuitias gratie eius que superhabundauit in nobis (Eph. 1, 7), sequitur (Eph. 3, 9) : et *illuminare omnes que sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis.* Deus fecit sicut homo qui satis habens de uino pro se et sua familia⁵, ponit circulum quasi signum quod alii ueniant, quia sufficit pro eis et in tantum quando de bono uino saturatur corpus et ipse et anima facit de eo sa despense. Sic Deus de filio de quo satiatus erat ipse et angeli, de eo fecit sa despense pro seruis, scilicet hominibus, quod fuit figuratum in Moyse qui fuit expositus et |17ra| Egyptiaca inuenit, non tantum de Egyptiaca sumere lac uoluit. Nota quomodo tribus mensibus fuit occultatus. Sic Christus⁶ tempore legis nature innocentis, deinde tempore nature corrupte, deinde tempore legis scripte, cumque iam occultare non posset, quia sicut perordinauerat, fecit fiscellam cirpeam integrum, scilicet Mariam, et posuit intus infanculum, exponens eum mundo ; tamen numquam aqua uanitatis mundi intravit usque ad eum nec dedit⁷ se alicui qui lac delectationis carnalis uel mundane accipiat.

[III] Circa tertium nota quod sine lumine homo perditus est et si ueniat sibi lumen, scit ubi est et inuenit se ipsum ; sic ueniente illo qui est *lux uera que illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum* (Ioh. 1, 9). Ideo Ps. (17, 29) : *quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus, illumina tenebras meas,* quare petit illuminari qui iam habebat illuminatam, quia cum lumine fidei quo illuminatur intellectus, neccessarium est lumine caritatis ad tollendum tenebras affectus. Ideo dicebat in plurali alibi (Ps. 12, 4) : *illumina oculos meos ne umquam obdormiam in morte.* Sequitur : *quoniam in te eripiar a temptatione* (Ps. 17, 30) ; in Ex. (14, 14) legitur : *Dominus pugnabit pro uobis et uos tacebitis.* Dyabolus quando temptat, loquitur nobis ; quando consentimus, respondemus ; taceamus ergo et ipse pugnabit pro nobis. A uiro iniquo eripe me (Ps. 139, 2) set in Deo meo transgrediar murum (Ps. 17, 30) scilicet celum, quod est impenetrabile per naturam quod in uirtute eius transire poterimus, quod ostendit posse fieri in uirtute eius qui |17rb| exiuit de claustro utero Virginis. Set sicut de facili aperitur ei qui portat lumen quando de nocte uenit ad ianuam, sic si in morte habuimus lumen gratie, de facili intrabimus. Non sumus ergo sicut fatue uirgines que non

¹ sicut] si B.

² amminicolo] anunculo B.

³ pretio] preco B.

⁴ diuitie] diuites P, B.

⁵ familia] qui add. P.

⁶ Christus] Christo P.

⁷ dedit] dat P, B.

intrauerunt quia lumen in lampadibus non habuerunt. Sicut autem in libro Sapientie legitur quod *totus orbis terrarum pugnabit contra insensatos* (Sap. 5, 21), obediens in hoc Deo quem offenderunt, sic obedient celi amicis Dei ut intrare ualeant qui per ministerium angelorum introducitur, de quibus in Ysa. (62, 6) : *super muros tuos Iherusalem constitui custodes.*

SERMON 7

Quatrième dimanche de l’Avent.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 17rb-18rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 38rb-39ra.

F. 17rb : *Manifestabit consilia cordium*, (I) Cor. IIII (4, 5). Nullus autem bene docetur¹ a magistro, maxime autem proficit inquirendo a magistro qui rudendo manifestat consilium cordis sui et eorum qui scripturas ediderunt. Sic quia *magister noster unus est Christus* (Mt. 23, 10), habemus nos inquirere ab eo et ipse reuelabit parabolam qui dicit (Ioh. 17, 6) : *manifestauit nomen tuum hominibus*.

*Manifestabit*² etc. Videmus in estate quod quantumcumque flores de nocte fuerint clausi et eorum capita fuerint depressa, tamen ad ortum solis cum luce apparentis capita erigunt, se aperiunt ut quantum plus possunt³ lumen recipient ; [ex] quo manifestatur quod interius erat et ad fructum usque perducitur, flore tamen naturaliter cadente, set supernaturale esset si flos cum fructu permaneret. Sic Maria flos uirginum, ueniente sole iusticie, aperuit consensum et impleta est eodem sole cuius fructus |17va| manifeste apparuit in Natali, flore uirginitatis remanente⁴, sic nos ad ortum huius solis debemus aperire corda et, quanto plus poterimus de lumine gratie et uirtutum recipere et petere per operis boni productionem, manentibus floribus uirtuosis, ut nos habere lumen gratie appareat manifeste. Set *angelus Sathane aliquando transfiguratur in angelum lucis* (II Cor. 11, 4) et facit concipere opus malum sub specie boni et non cessat donec educat in manifestum per opus. Set ecce uerum lumen in quo appetit eum malum quod fugit tenebram culparum, si reuelantur ad huius lucis aduentum per confessionem. Ad hoc enim uenit sicut prophetizauit de eo Symeon, Luc. II (34) : *ecce positus est hic in ruinam, scilicet uitiorum, et in resurrectione multorum in Israel*, scilicet uertuosorum non omnium quia non omnes sunt israelite ponentes oculos ad illud lumen, et sequitur (Luc. 2, 35) : *ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes* in confessionem tam laudis quam penitentie. Vide claritatem euidentie, *manifestabit* ; cape securitatem prudentie, *consilia* ; nota prioritatem amicitie, *cordium*. Gallice : il fra clere demoustrance de ceo que ayde a purveaunce que furent la ou est la racine de amour et de alyaunce.

Circa primum, nota quod uerissima res est lux quia se demonstrat sicut est, ymmo et alia manifestat, propter quod Deus lux est qui ostendet omnia in iudicio, qui etiam se ostendit in primo aduentu sicut erat. Ideo nolunt peccatores uenire ad eum ne appareant eorum opera mala, |17vb| precipue hypocrite qui non timent nisi uideri quod uere sunt. Et ideo maxima confusio fiet eis quando quod timent ostendetur. Melius esset quod modo ostenderetur, ut celatur tunc, quod est manifestandum. Sap. (6, 17) : *ostendit*. Prou. II (10, 8) : *sapiens corde*. Sicut in corporalibus, propter

¹ docetur] doceatur *P.*

² manifestabit] consilia cordium Cor. IIII add. *B.*

³ possunt] post *P.*

⁴ remanente] manente *B.*

infectionem gustus, omne quod accipitur in cibum insipidum est, ita in spiritualibus ; set bene disposito sapiunt omnia, ita ut in aqua que insipida est saporem inueniat. Sic sapiens de diuinis inuenit saporem in omnibus, etiam in tribulationibus. Set non omnis qui cognoscit Deum sapiens est, set qui inuenit saporem in gustu scientie Dei. *In corde prudentis requiescit sapientia*, Prou. (14, 33). Sequitur : *precepta suscipiet* (Prou. 10, 8). Sapiens gerit se in omnibus secundum statum suum. Homo autem in uita presenti est in statu subiectionis, ideo debet precepta suscipere, set aliqui sunt qui libentius suscipiunt simplicem monitionem mundi, carnis uel demonis, quam preceptum Dei cui magis tenentur obedire, contra quos Prou. (6, 20-21) : *uide, fili mi, precepta patris tui et ne dimittas legem matris tue, liga ea in digitis tuis.* Artifex qui indiget pluribus regulis non potest commode alligare unam manum. Nam dum uellet per aliam agere, ista impediret. Set non indiges tu nisi una que est iustitia naturalis inserta tibi a natura, per quam tu debes declinare a malo et facere bonum, et ut hanc semper portes tecum, inseruit eam |18ra| tibi Deus in principio operum tuorum, quod est ratio. Seneca. *Stultus ceditur labiis* (Prou. 10, 8). Stans altus non uult obedire set uerbum Dei est ei gladius, scindens cor eius per impatientiam. Sic, quia scriptum est (Ps. 88, 35), *que precedunt de labiis meis non faciam irrita*, oportet quod uel scindatur per penitentiam uel scindetar a Deo ; melius est quod rescindat suam propriam uoluntatem. Sequitur (Prou. 10, 9) : *qui ambulat simpliciter ambulat confidenter.* Qui uadit per uiam plicatam non festinat, ymmo aliquando in fine diei posset plus distare a termino quam in principio. Sic peccatores aliquando uadunt ad Deum per penitentiam set replicando peccatum retrocedunt et in fine uite plus distant quam in principio, contra quod Sap. I (1) : *in simplicitate cordis querite illum* ; sequitur (Prou. 10, 9) : *ambulat confidenter.* Via est caritas, *adhuc excellentiorem uiam demonstro uobis* (I Cor. 12, 31). Qui est in medio securus est contra aliquos qui caritatem habent minimam. Isti sunt in extremo, non in medio, in modico impulsu cadant in odium quia firmi non sunt. Set *confidunt in Domino sicut mons Syon* (Ps. 124, 1). Illi autem qui ad Deum accedunt fiducialiter uadunt. *Adeamus cum fiducia ad tronum gratie eius*, Heb. III (16). Non exspectemus quod sedeat in trono iusticie in die iudicii. Sequitur (Prou. 10, 9) : *qui autem deprauat uias suas.* Magna est nostra paruitas quia illud quod est bonum de se facimus per malam intentionem. Paruum est cor hominis et scrutabile, ideo sequitur : *manifestum erit* (I Cor. 3, 13), tunc apparebit quod per malam uiam uenit, quia non mundauit |18rb| in aqua maris huius mundi qui est status locationis, set transito hoc mari, non erit locatio possibilis ; tunc *manifesta sunt opera carnis* (Gal. 5, 19) etc.

SERMON 8

Quatrième dimanche après l’Epiphanie.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 18rb-21va.

Plan :

Prothème – Les enfants de Dieu appartiennent à la même famille.

- Certains en font partie par intérêt personnel.
- Ce n'est pas une nombreuse famille.

Thème – Comment faire partie de la famille de Dieu.

I – Nécessité de faire preuve des vertus chrétiennes.

II – Nécessité de se comporter en soldat du Christ.

III – Exemple pour faire partie des élus.

F. 18rb : *Induite uos sicut electi Dei*, Col. 3 (12).

[Prothème] Consuetudo hominum et natura auium hoc simile habent quia sicut pulli¹ galline unius ut communiter² induuntur plumis similibus, sic familia unius domini ut communiter induitur ueste consimili, quod ideo premisi quia omnes filii ecclesie sunt pulli unius galline : omnes clerici, omnes filii Dei sunt de familia unius Domini. Dixi primo quod omnes filii ecclesie sunt quasi pulli unius galline. Hanc similitudinem ponit Christus in Mt. (23, 37) : *uelui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas et noluisti*.

Propriissime loquitur hic : gallina pullos suos ad se congregat propter duo, propter cibum et propter miluum. Quando congregat propter cibum, non ponit eos sub alis et ideo sunt in periculo dum actu commedunt : quandoque uenit miluus et portat unum uel duos. Set quando congregat eos propter miluum, tunc ponit eos sub alis, ideo in tuto sunt. Secunda congregatio est securior quam sit prima et tamen pulli ad primam libentius currunt, ymmo de sub alis galline exeunt ut congregentur ad cibum. Recte sic est de filiis ecclesie sicut de pullis galline. Quidam enim congregantur ad eam propter miluum : congregantur illi qui aggregantur filiis ecclesie, fiunt canonici, curati, archidiaconi, magis propter |18va| temporale commodum, non ut defendantur contra dyabolum. Sunt aliqui tales. Probatio quod sic : uidebitis canonicos qui raro uel numquam intrabunt ecclesiam, saltem chorum non intrant, nisi quando debent lucrari peccuniam. Ex quo peccuniam lucrati sunt, statim incompleto officio chorum dimittunt. Signum manifestissimum est quod ipsi currunt ad ecclesiam solum propter cibum. Videbitis curatum qui de toto anno non curret ad gallinam, ad³ ecclesiam suam, nisi tunc solum quando currit ibi propter cibum tempore messis. Ps. (64, 14) : *induti sunt arietes ouium et ualles*

¹ pulli] et add. P.

² communiter] conuersus P.

³ ad add. in marg. P.

habundantes frumento clamabunt etenim ympnum dicent. De talibus dicit Hugolino de claustro anime¹ : « Peruersi sacerdotes terrenis inhiant, terrena sapiunt, assidui in plateis, in ecclesia rari, tardi ad inuestigandum culpam peccatoris, parati ad querendum uestigium leporis, uelociores ad congregandos canes quam ad uocandos pauperes, libentius porrigunt panem cani quam pauperi, plures seruiunt eis ad mensam quam ad missam, famulos et famulas habere uolunt, clericos habere non possunt quia nolunt. » Hii sunt quorum thalamus est ornatior ecclesia sua, mensa paratior altari, cibus calice pretiosior, equus carior missali, capa pulcrior casula, camisia delicatior alba. Ecce *quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* (Can. 4, 1). Hic Hugo² : « Tales non pereunt se sub alis galline, uero dimittunt alas contemplationis |18vb| et deuotionis propter cibum, propter delectabilia uite presentis. » Et quid sequitur ? Frequentissime, dum actu commedunt, miluus dyabolus subito portat eos. Jam commune prouerbium est, quando aliquis moritur subito : mors eius, mors clericorum. Ps. (77, 30) : *adhuc esce eorum erant in ore ipsorum usque ibi* (77, 31) : *et electos Israel impediuit.* Alii congregantur ad gallinam non propter cibum set propter miluum, illi uidelicet qui mundum dimittunt et ponunt se sub alis galline dant se contemplationi, deuotioni, religioni propter miluum, hoc est ut euadant manus dyaboli. Ps. (16, 8) : *sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum.* Quilibet uidet, nisi sit cecus, quod secunda congregatio est securior quam sit prima et tamen pulli ecclesie clerici libentius exponunt se miluo propter cibum quantum cibum dimittant propter miluum ! Maxima excecatio est hodie. Si enim pulli paruuli, iuuenes, adulescentuli dimittunt mundum et ponunt se sub alis galline, dant se deuotioni et contemplationi in religione propter miluum, propter dyabolum, parentes plangunt eos quasi mortuos. Ubi autem patenter uident quod dyabolus portat eos, uident eos garciones in seculo pessimos, non curant, etsi Christus assumit eos ad se, ipsi plangunt et dolent, tamen scriptum est (Ps. 64, 5) : *beatus quem elegisti et assumpsisti.* De talibus conqueritur Dominus quando dicit (Matth. 23, 37) : *uolui congregare pullos tuos* ut supra. Habeo primum quod omnes filii ecclesie sunt quasi pulli unius galline.

Dixi secundo quod omnes filii Dei omnes electi sunt de familia |19ra| unius prelati Christi. Ps. (104, 6-7) : *semen Abraham, serui eius ; filii Iacob, electi eius. Ipse Dominus Deus noster ; in uniuersa terra iudicia eius.* Vult dicere quod prelatus noster habet maximam iurisdictionem, quia totus mundus subest sue iurisdictioni, in uniuersa terra [observantur], iudicia eius tamen habet modicam familiam quia de familia sua sunt soli electi. *Semen Abraham, serui eius ; filii Iacob, electi eius. Multi autem sunt uocati, pauci uero electi* (Matth. 20, 16). Utinam sic haberent alii domini modicam familiam et electam, set uidetur mihi quod familia magnatum hominum optime figuratur per familiam Leuitarum. Moderni domini sunt recte *principes familiarum Leui*, Iosue 21 (1). Olim unum officium Leuitarum fuit excoriare animalia que offerebantur in sacrificium, V Pal. (II Paral. 35, 11) : *Leuite*

¹ *Manipulus florum*, Sacerdos AS (Hugo de claustro anime de duodecim abusionibus).

² *Non inueni.*

detraxerunt pelles holocaustorum, illud est officium magnatum excoriare homines, spoliare pauperes. Iob 24 (7) : *nudos dimittunt homines indumenta tollentes* etc. Sequitur (Iob 24, 9) : *uim fecerunt depredantes pupillis et uulgum pauperem spoliauerunt*. Vix Parisius inuenirentur tot excoriatores in martello sicut in curia magni principis uel prelati cubicularii, et quicumque ministri per quos habetur accessus ad dominum. Breuiter, quot accessores, tot excoriatores. Unde excoriatores ita fiunt diuites et habundant ubi principes uel principales domini indigent. Utinam auerterent superiores et facerent eis iuxta uaticinum Malachie : *conflarent argentum eorum et purgarent filios* |19rb| *Leui* (Mal. 3, 3).

[Thème] Recolligo que dixi et concludo, primo quod consuetudo hominum et natura auium hoc simile habent quod sicut pulli galline unius communiter induuntur plummis similibus, sic familia unius domini induitur ueste consimili. Dico quod omnes filii ecclesie sunt quasi pulli unius galline, omnes filii Dei sunt de familia unius prelati Christi ; ex quibus potest concludi quod qui uoluerunt esse filii ecclesie et qui uolunt esse de familia Christi, de cuius familia sunt soli electi, debent indui ueste consimili. *Ergo induite uos* etc. (Col. 3, 12). In quibus uerbis apparet quod qui uolunt esse de familia Christi primo debent acquisitis uirtutibus informari, *induite uos* ; secundo debent exquisitis militibus conformari, *electi* ; tertio indigent inquisitis honoribus uel dignitatibus conformari, *electi Dei*. Electus in episcopum uel abbatem indiget confirmari per superiorem, superior autem cuius est electos confirmare in beatitudine Deus est qui secundum ethymologiam nominis dat eternam uitam suis.

[I] Circa primum sciendum quod adhuc preter similitudinem prius dictam, consuetudo quorumdam magnatum et natura quarumdam auium hoc simile habent quod sicut gallina pullis suis adhuc paruulis, quia propriis plumis carent, quasi prouidet de uestibus, tegit eos et cooperit alis suis, quando autem iam sunt in augmento promoti quia induuntur propriis plumis de retro, gallina non tegit eos alis, dimittit eos sibi ipsis. Sic aliqui prelati clericis de familia sua nondum per eos ad ecclesiastica beneficia |19va| promotos prouident, de uestibus induunt eos propriis sumptibus, set ex quo aliqui clericorum suorum sunt per eos beneficiati et promoti de cetero, non induunt eos, ymmo sic promoti cum propriis sumptibus induunt semet ipsis. Dicitur eis : *induite uos*. Spiritualiter plume, indumenta auium, sunt habitus uirtutum. Ratio est quia sicut plume in auibus sunt propter duo : propter ornatum et propter uolatum, sic uirtutes in hominibus sunt propter duo : per ornatum sue perfectionis et propter uolatum bone operationis. Virtus enim est que habentem perficit et opus eius bonum reddit. Iterum sicut plume non sunt de essentia auibus set sunt quedam superaddita uel ab extrinseco si sunt plume proprie, sic uirtutes non sunt de essentia anime set sunt quedam superaddita uel ab extrinseco si sunt uirtutes a Deo infuse, uel ab intrinseco si sunt uirtutes per actus proprios acquisite. Ergo plume extraneae sunt uirtutes infuse, plume proprie sunt uirtutes per actus proprios acquisite. Dictum est autem quod nos sumus filii unius galline et de familia unius prelati. Ideo recte Christus facit nobis sicut gallina pullis et prelati ministris. Pullis paruulis qui non habent nec habere possunt alas, plumas proprias, uirtutes acquisitas, Christus prouidet de uestibus in baptismo, induit

eos propriis sumptibus, ad Gal. 3 (27) : *quicumque in Christo baptizati estis Christum induistis.* Hoc fuit figuratiue monstratum¹ Zacharie prophete qui |19vb| uidit unum qui indutus erat uestibus sordidis et illi dictum est : *abstuli a te iniquitatem et indui te mutatoriis*, Zach. 4 (3, 4). Ille ergo indutus sordidis uestibus est paruulus natus, in peccato originali conceptus, in quo baptismo duplicem effectum habet, scilicet auferre iniquitatem et delere culpam et induere mutatoriis gratiis et uirtutibus infusis, Ysa. LXI (10) : *induit me uestimento salutis, et indumento iustitie circumdedit me.* Dominus induit paruulos indumento salutis cum sumptibus propriis, quia saluantur solo merito passionis Christi sine operibus ; set ex quo paruuli sunt in augmento promoti, Deus uult quod plumis propriis induant se ipsos, quod acquirant sibi uirtutes per actus proprios. Unde dicitur eis : *induite uos*, Iob (40, 5) : *circumda tibi decorum et in sublime super uirtutum erigere et pretiosis induere uestibus*, id est uirtutibus. Modo sic est quod inter pullos galline principales sunt clerici, in familia Christi principales sunt uiri ecclesiastici. Ysa. (61, 6) : *uos filii sacerdotes Domini uocabimini ministri Dei* etc. enim dicetur. Nota uerba : dicit *uocabimini* et dicetur uobis. Logici dicunt quod quedam propositiones sunt distinguende quia sunt uere de dicto et de re sunt false. Ita uidetur uelle dicere Ysaias quod sumus dicto solum sacerdotes, de re autem non. Nomen habemus set officium non intelligimus. Idem dicit Crisostomus² super Mt. (23, 2) tractans illud uerbum : *super cathedram Moysi.* « Multi, inquit, sacerdotes |20ra| et pauci sacerdotes, multi nomine set pauci opere. Videte ergo quomodo sedeatis *super cathedram Moysi*, nam cathedra non facit sacerdotem set sacerdos cathedram », et subdit quibusdam interpositis : « Male uiuendo et bene docendo, deinde instruis qualiter te debeas condempnare. » Adhuc dicunt quod argumenta que procedunt ex talibus premissis, que de dicto solum sunt uere, de re autem false, non habent efficaciam nec faciunt bonam consequentiam, set falsam. Premisse argumentantes conclusionem sunt prelati, presbiteri, doctores, predicatori qui ideo premittuntur et preferuntur laycis, ut arguant eos et redarguant de defectibus suis. *Argue, obsecra, increpa* (II Tim. 4, 2). Unde [ex] hoc quod argumenta nostra non habent efficaciam nec bonam consequentiam, tota die predicamus et arguemus contra uitia et quasi nullus fructus consequitur. Certe causa est, quia premissae argumentantes sunt de dicto solum quia dicunt et non faciunt, ymmo quod uerbis predican, moribus impugnant. Qualem inefficaciam et quam malam consequentiam habent argumenta innuit Gregorius³ in Regula, capitulo tertio, qui dicit : « Nemo amplius in Ecclesia nocet, quam qui peruerse agens, nomen uel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nemo presunit ; et in exemplum culpa uehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis predictor honoratur ». Quidcumque sit uerum de re uel de facto, non est dubium quod uiri ecclesiastici reputantur principales inter illos de familia Christi, iterum inter omnes de familia Christi

¹ monstratum] monstratu P.

² *Manipulus florum*, Sacerdos AN (Crisostomus super Matthaeum homelia 25) ; *Decretum Gratiani*, I, dist. 40, c. 12 (E. Friedberg, 1879, p. 147).

³ *Manipulus florum*, Exemplum O et Sacerdos A (Gregorius in Pastorali) ; Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, I, 2 (B. Judic et al., SChr 381, 1992, p. 134).

per eum ad digni|20rb|tates et beneficia maiora promoti. Prima [Pe.] (2, 9) : *uos estis genus electum, gens sancta, populus acquisitionis ut uirtutes annuntietis* uult dicere : Vos estis de priuata familia Domini Christi *quia estis genus electum*. Iterum uos estis per Christum ad maiores dignitates promoti, *regale sacerdotium* (I Pe. 2, 9) et ideo de cetero debetis uos ipsos induere, debetis uobis per actus proprios uirtutes acquirere, *populus acquisitionis* ; et non solum hoc, ymmo debetis alios ad uirtutes induere ut uirtutes annuntietis. Set scitis quid est : si sunt homines Parysius dissuti et male induiti, illi sunt clamatores per uicos qui clamant ut reparent aliorum uestes. Clamatores isti sunt uiri ecclesiastici quorum officium est clamare contra uicia et alios inducere ad uirtutes. *Clama, ne cesses* etc. (Is. 58, 1). Quam fronde audet reparare uestem alterius, quomodo potest corrigere aliorum deffectus, ille qui est dissutus et minus bene induitus ! Sordes tergere non ualent manus que lutum tenent. Ergo si multis aliis induere alios ad uirtutes inducere, *induite uos*. Primo acquirite uobis uirtutes per actus proprios, hoc fuit primum, scilicet quod debemus acquisitis uirtutibus informari.

[II] Circa secundum nota quod quando milites uel armigeri ueniuunt de nouo ad seruicium alicuius domini, quia nondum habent uestes eius, monstratur eis in una modica pecia panni color exemplar uestium quibus induitur familia domini, ut ipsi prouideant sibi de ueste simili |20va|. Sapientia in Proverbium dicit quod illi qui sunt de familia Christi induuntur ueste pertita colore duplice. Omnes enim domestici eius uestiti sunt duplicitibus. Quilibet miles Christi electus induitur ex una parte ueste candida castitatis et munditie et ex alia parte ueste purpurea passionis et tolerantie. In Can. (5, 10) : *dilectus meus candidus et rubicundus electus ex milibus*. Hac ueste pertita debent uti precipue clerici in quibus debet apparere pre aliis candor munditie et uigor constantie ; set timeo quod habitus noster exterior sit signum habitus interioris. Clerici enim non utuntur ueste pertita sicut layci et uere timeo ne minus sit in eis de candore munditie et de uigore constantie quam in laycis. Huius uestis pertice monstratur nobis exemplar in una modica pecia panni in persona Agathe uirginis. *Una est columba mea, una matris sue electa genitrici sue*, Can. 6 (8). In hac pecia panni apparent color candidus munditie uirginis et color purpureus uictorie triumphalis. Prou. 31 (25) : *fortitudo et decor indumentum eius* etc. Fortitudo sue constantie bene apparuit quando Quintianus consiliaris tradidit eam uetule que septem filias turpissimas habebat, ut per 26 dies staret cum eis, et sic per blandimenta posset eius animus emoliri quibus ipsa dicit¹ : « Verba uestra uenti sunt, promissiones uestre plumme, terrores fulmina que, quamuis illidant fundamenta, domus mee non poterit cadere ». Ergo uolentibus esse de familia Christi monstratur exemplar |20vb| uestium cuius induuntur electi. Ad hoc idem hortatur Petrus Apostolus, Phil. 3 (17), quasi loquens in persona huius uirginis : *ymitatores mei estote et obseruate eos qui ita ambulant sicut habentis formam uestram*. Istud fuit secundum quod scilicet debemus exquisitis militibus conformari. Set scitis quid est. Aliter utuntur uestibus sibi datis milites, armigeri, famuli proprii domini, aliter hystriones et communes bedelli, famuli proprii uestes sibi datas continue induunt et eas consumunt in seruicio domini et, consumpta ueste una, datur eis certis

¹ *Lectionnaire dominicain*, s. Agathe, lectio prima et secunda, p. 191.

temporibus alia uestis noua. Set hystriones et bedelli communes uestes sibi datas induunt per paucos dies ad ostentationem nec consumunt eas in seruicio domini, ymmo uendunt eas alteri. Videbitis hodie hystrionem indutum ita pulcre ac si esset filius unius comitis. Cras apparebit in una ueste misera et modici ualoris. Recte sic est de electis et reprobis sicut de famulis propriis et bedellis communibus seu hystrionibus. Deus enim dat uestes suas utriusque bonis et malis. Primo dat corpus quod est indumentum anime. Iob (10, 11) : *pelle et carnibus uestisti me.* Secundo dat bona fortune que sunt quasi quedam indumenta corporis. Set electi et probi uiri qui sunt de familia Christi utuntur hiis indumentis ad consumptionem. Bona fortune consumunt in seruicio Christi, dando elemosinas pauperibus per penitentiam¹ et per martirium quod quandoque sustinent propter Christum. Et quid sequitur ex hoc ? Certe prima ueste [21ra] consumpta, ueste corporali et mortali, datur eis alia uestis noua scilicet immortalitatis. Prima Cor. 20 (15, 53) : *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit in mortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptum est : absorta in uictoria,* Mt. (I Cor. 15, 54). Reprobi autem hiis uestibus utuntur ad ostentationem : gratias corporales quas habent ostendunt et bona fortune expendunt propter uanam gloriam solum. Non expendunt ea uel consumunt in seruicio Christi, set mundi et dyaboli, animas cum corporibus impingnorant et uendunt dyabolo pro misera delectatione peccati. Quid sequitur ex hoc ? Certe ipsi bedelli uel hystriones modico tempore portant uestes istas, modico tempore durant corporales gratie et diuitie. Videbitis hodie unum pulcrum, fortissimum et ditissimum, cras erit indutus ueste misera et confusibili, cras morietur et caro eius induetur putredine. Iob (7, 5) : *induta est caro mea putredine.* Anima induetur eterna maledictione. Ps. (108, 18) : *induit maledictionem sicut uestimentum et intrauit sicut aqua interiora eius, et sicut oleum in ossibus eius. Fiat ei sicut uestimentum quo operitur, et sicut zona que semper precingitur.* Nec tale est sicut nos² quia dicitur sicut electi. Beata Agatha uestes pulcherimas a Deo sibi datas, pulcritudinem [et] iuuentutem, consumpsit in seruicio Christi et in tantum consumpsit quod totaliter uestis sua lacerata fuit et ideo data est ei uestis alia immortalitatis. Ita dixerat ipsa Quintiano consulari³ : « Et nisi, inquit, diligenter feceris corpus [21rb] meum a carni acces non potest anima mea in paradisum Dei cum principua intrare marti », quasi dicat : oportet uestem meam prius lacerari et bene consumi. Figurata ista per Hester *que induta est regalibus uestimentis et stetit in atriiis domus regie,* Hest. 6 (5, 1). Hec est *in atriiis domus Dei nostri* (Ps. 134, 2). Sic igitur in ea que in una pecia panni habemus monstratum et exemplum uestium quibus indutus familia Christi ut dicat cum apostolo : *ymitatores mei estote sicut et ego Christi,* prima (I) Cor. 16 (11, 1), illud fuit secundum quod scilicet debemus exquisitis militibus conformari.

¹ per penitentiam] penitentie *P.*

² nos] nostrum *P.*

³ Non inveni.

[III] Circa tertium, sciendum quod electus ad aliquam dignitatem, puta in episcopum vel abbatem, non est bene in tuto de iure prelationis sibi acquisito, donec confertur¹ per superiorem, quia superior ex causa potest cassare electionem factam. Quando confirmatus est, tunc est in tuto quia non potest cassari eius electio. Inde est quod clerici recurrent ad superiorem quam citius possunt ut portent suam confirmationem. Spiritualiter enim prelationes ecclesie triumphantis, Ia. 2 (5) : *nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide et heredes regni* set electi in hoc mundo nondum sunt confirmati, non sunt ita firmati in bono quin possit cassari eorum electio. Possunt enim peccare et sic beatitudinem amittere. Sancti autem in patria sic sunt confirmati quod electio eorum per quemquam non potest² cassari. *Quis accusabit aduersus electos Dei ? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet ?* Ro. 9 (8, 33). Igitur quia hic in tuto non sumus, debemus festinanter ad superiorem recurrere et [21va] nostram confirmationem ab eo instanter petere, iuxta dictum Ps. (104, 4) : *querite Dominum et confirmamini querite faciem eius semper.* Ita petebat Ps. (50, 14) : *Spiritu principali confirma cor meum Deus.* Superior prelatus ad quem spectat electos in beatitudine confirmare et confirmatos consecrare, Deus est. De confirmatione patet prima (I) Pe. 6 (5, 10) : *Deus omnis gratie qui vocavit nos in eternam gloriam.* Similiter in Christo Ihesu passos ipse perficiet et confirmabit solidabitque. 2 Mach. primo (1, 25) : *Domine Deus omnium creator fecisti patres electos et sanctificasti eos.* Velit Deus quod nos simus de numero talium electorum, quod nobis concedat.

¹ confertur] conferentur *P.*

² potest] possunt *P.*

SERMON 9

Quatrième dimanche après l’Epiphanie.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 21va-22rb.

Plan :

Thème – Les vêtements du chrétien. Nécessité de pratiquer la charité.

I – Mesure de la charité.

II – Qualité de la charité.

III – Humilité et charité.

F. 21va : *Super omnia caritatem habentes*, ad Col. 3 (14).

[Thème] In hac epistula spiritualiter uidetur Paulus Apostolus sollicitari et curam habere de nouiciis induendis. Parum enim ante uerba proposita dixerat : *expoliantes, inquit, ueterem hominem et induentes nouum qui renouatur* etc. (Col. 3, 9). Et cito post sequitur epistula dominicalis in qua, sicut apparent eam legenti, raro facit aliud nisi prouidere nouiciis suis de habitu et de spiritualibus indumentis. Unde sic incepit epistula : *induite uos sicut electi Dei* etc. (Col. 3, 12). Modo, licet secundum ueritatem habitus non faciat monachum, per habitum tamen dinoscuntur et discernuntur monachus a non monacho siue religiosus unus ab alio. Hinc est quod etsi generali uocabulo uestis quelibet posset dici habitus, quia secundum illum modum habere uno modo dicitur habere uestimentum nec determinat hoc uel illud, nihilominus spiritualis usus loquendi aliquorum religiosorum hoc habet quod illa [21vb] sola uestis apud eos uocatur habitus, que aliis supereminet et per quam ipsi ab aliis dinoscuntur. Credo quod ad minus in hyeme Minores plures tunicas habent quarum solam superiorem uocant habitum propter causam predictam. Similem modum loquendi uidetur habere Apostolus in epistula supra. Ipse enim tamen primo prouidet nouiciis suis de inferioribus seu interioribus indumentis. *Induite uos sicut electi Dei*. Omnia, sicut uidetis, generali nomine utuntur. Habitibus acquisitis, considerans tamen ista indumenta esse communia nec per ea posse¹ distingui religiosos a non religiosis, fideles scilicet christianos ab aliis, cum uterque ea habebant, neutrum eorum proprie uocauit habitum, set tantum indumentum. *Induite uos* inquit etc. Ultimo in uerbo Thetis prouidet eis de superiori ueste quam ideo proprie uocat habitum, quia per eam ueri religiosi fideles filii Dei ab aliis dinoscuntur. Iste est habitus caritatis, de qua dicit Io. prima canonica (I Ioh. 3, 1) : *uidete qualem caritatem, qualem habitum dedit nobis Deus ut filii Dei nominemur et simus*. Exemplum uel figuram huius uidetur Apostolus habuisse in illa parabola, Mt. 22 (11), ubi quia ab habitu Dei nominamur habentes. Illi qui sine *ueste nupciali* uenerat, ac si pertransisset ordinem sine habitu, dictum est (Matth. 22, 12) : *amice, quomodo huc intrasti, non habens uestem nupcialem*. Volens ergo Apostolus nouicios suos admitti ad ordinem et pati repulsam,

¹ posse] possunt P.

postquam prouidit eis de inferioribus et communibus indumentis, ultimo [22ra] dat eis proprium et superiorem habitum dicens (Col. 3, 14) : *super omnia caritatem habentes*. Ubi tria tanguntur de caritate per quam uestis aliqua uel aliqui habitus solet aliis superponi. Quandoque enim hoc est ratione quantitatis : pars est maior uel latior et illud quod uilitas in capis ; quandoque ratione materie, quia carior uel pretiosior, etsi obicitur, obseruetur ; tertio ratione figure, quia scilicet est ipsi induito humilio et communior, ratio, quia capa non est habitus. Est ergo habitus caritatis inter alios maioris uel latioris continentie, *super omnia*, carioris uel pretiosioris materie, *caritatem*, humilio seu conformioris detentie. Propter hoc ab ea maxime denominantur habentes ut uidebitur.

[I] Quantum ad primum, quante latitudinis sit habitus iste innuit Apostolus, prima ad Cor. 13 (7) : Caritas, inquit, *omnia suffert, omnia credit, omnia sperat*, et paucis interpositis : *nunc manet fides, spes, caritas, tria hec maior autem horum est caritas* (I Cor. 13, 13). Ad litteram tante latitudinis est habitus caritatis quod ab aliquibus positus non haberet terminum in augmento, ita quod hoc bene figuratur per illam tunicam Saluatoris de qua dicitur in Io. (19, 23) quod *erat tunica inconsutilis desuper contexta per totum*, que tamen in morte eius diuisa non fuit, cum diuidentur alia uestimenta ; tamen, quia de ea narrant aliique hystorie quod ad mensuram corporis eius crescebat, optime signat caritatem que non est uis diuisiu set uis unitiu, quia per mensuram augmenti conatus *caritas uestra magis ac magis habundet*, Phil. primo (9).

[II] Secundo solet uestis aliqua uel [22rb] habitus superponi, quia carioris uel pretiosioris materie [est], quod ideo fuit ut per pretiosiorem uestem occultetur deffectus uel macula, si qua sit in corpore uel in inferioribus indumentis. Et ecce caritas pretiosissime materie est que Dominum habet pro principali obero et ideo de ea dicitur in Prou. (10, 12) quod *uniuersa delicta operit caritas*. Propter hoc Petrus, prima canonica (I Petr. 4, 8) : *supra autem omnia caritatem habentes*, quia *caritas operit multitudinem peccatorum* (I Pe. 4, 8).

[III] Tertio habitus caritatis inter alios est humilio detentie. Tanto uestis est humilio uestito, quanto est sibi conformior et magis configurata, et ecce caritas non solum conformat set transformat amantem in amatum, et ista est causa quare ab ea maxime denominantur habentes. Bene enim fides est de non uiso, spes de non habito, set de caritate dicit Gregorius¹ in omeliis quod « qui Deum tota mente desiderat, profecto iam habet quod amat ». Et beatus Augustinus² dicit quod « ille habet quicquid patet et quicquid latet in diuinis sermonibus, qui caritatem seruat in moribus ». Ex qua auctoritate Augustini apparent quod Apostolus, prouidens suis nouiciis de habitu caritatis, non solum dedit eis spiritualem uestitum, set cum hoc sufficientem uictum ; set quicquid patet et quicquid latet in diuinis sermonibus, iste est cibus anime, iuxta illud (Matth. 4, 4) : *non in solo pane uiuet homo* etc. Bonus prelatus est iste qui sic prouidet subditis suis et ideo dicere potest cum eo illud ad Thym.

¹ Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri II*, II, 30, 1 (PL 76, 1220C).

² Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 350, 2 (PL 39, 1534).

(I Tim. 6, 8) : *habentes alimenta, scilicet uerba Sacre Scripture, et quibus tegamur, scilicet habitum caritatis, hiis contenti sumus.*

SERMON 10

Premier dimanche de Carême.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 22rb-25ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 52va-54vb ; Toulouse, Bibl. mun. 338, f. 136rb-140vb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 180rv.

Plan :

Prothème – Rôle du prédicateur qui délivre la parole de Dieu comparée au pain.

Thème – Le diable est dangereux. Le péché est comparé à une pierre. Quel remède contre cette situation ?

I – La force du pain qui restaure. Le pêcheur affamé manque :

- du pain qui purifie (contrition)
- du pain qui fortifie (confession)
- du pain qui engraisse (satisfaction).

F. 22rb : *Lapides isti panes fiant* [22va] in Mt. (4, 3). *Est puer unus hic qui habet quinque panes ordeaceos* (Ioh. 6, 9).

[Prothème] Propter deffectum frumenti fit panis ordeaceus. Unde uidemus [quod] ubi parum est frumenti et multum de ordeo, fit panis mixtus ab utroque ut per amixtionem frumenti panis fiat melior. Panis necessarium nutrimentum anime est uerbum Dei : *non in solo pane* etc. (Mt. 4, 4). Qui istum panem debet ministrare populo est predictor proponens uerbum Dei. Et ideo predictori impositum est in Ezechiele quod numquam faciat panem pure ordeaceum quin sit ibi aliquid de frumento. *Sume, inquit, tibi frumentum et ordeum et facies tibi panes* (Ez. 4, 9). Tamen¹ predictor dat panem pure ordeaceum quando uerbum Dei proponit, non inuocato prius adiutorio illius qui comparat se grano frumenti dicens : *nisi granum* etc. Verbum enim Dei in ore hominis est panis pure ordeaceus, quia, sicut medulla grani ordeacei exterius inuoluitur rudi cortice et grossa, sic substantia et sententia uerbi Dei in ore hominis rudi cortice inuoluitur, quia de spiritualibus nescit homo nisi inuoluta² [sint] sub similitudine rerum sensibilium. Iob (38, 2) : *quis est iste qui inuoluens sententias sermonibus imperitis.* Ergo uerbum Dei in ore predictoris non est sufficiens pabulum anime sine mixtione frumenti. In signum huius legitur in Io. (6, 9) de *quinque panes ordeacios* qui tante multitudini sufficere non poterant sine amixtione frumenti, hoc est uirtute illius qui se comparat grano frumenti, sic multiplicati sunt quod³ cuilibet sufficit, et cum hoc apostoli ministrantes colligerunt [22vb] *12 cophinos fragmentorum* (Mt. 14, 20). Pro isto ergo frumento recurramus ad horreum, scilicet matrem gratie cuius uenter fuit horreum in quo granum istud fuit repositum.

¹ tamen] tunc P.

² inuoluta] inuolute P.

³ quod] que P, quid B.

[Thème] *Lapides isti panes fiant* (Matth. 4, 3). Summum remedium contra uenenum est tyriaca, cum tamen ipsa facta sit de ueneno uel ad minus de serpente. Serpens uenenosus est iste de quo in Apo. (12, 9) : *draco magnus et serpens antiquus qui est dyabolus et Sathan*. Et bene antiquus : quando enim primum uenenum suum fudit in matris nostre temptatione, assumpsit sibi corpus serpentis. Serpens tamen [significat] caput mulieris uel faciem ubi notat Gregorius¹ quod ex tunc inceperunt esse capita uenenosa mulierum quando caput mulieris fuit super corpus serpentis². Serpens iste uenenum suum tunc totum non effudit, quia hodie recitat euangelium quomodo ad Saluatorem nostrum in deserto esurientem accessit, uolens eum temptare dicens : *si filius Dei es etc.* (Matth. 4, 3). De hoc uerbo uenenoso et uenenose dicto fecit nobis tyriacam sumnum et singulare remedium contra peccati uenenum. Cum in euangilio recitat quod Dominus famescebat in deserto, non dicitur quod magna sit fames in terra quacumque deserta ubi uictualia portantur aliunde, set quando terra sic est deserta de se quod non gignit nisi lapides nec uictualia possunt aliunde portari, nullum remedium apparent contra talem famem nisi lapides commedantur, quod fieri non potest nisi ex |23ra| lapidibus panes fiant. Recte talem famem facit peccatum in terra ubi habitat, scilicet in anima peccatorum. Primo enim terra illa generat lapides, Ecclesiastes II (Eccle. 21, 11) : *uia peccantium complanata lapidibus*. Peccata enim lapides sunt quia nihil pedem affectus³ anime ledit nisi peccatum, *qui peccauerit in me ledet animam suam*, Proverbs 9 (8, 36), ymmo corpus hominis in statu innocentie nihil potuisset ledere, nisi anima prius fuisse lesa per peccatum. Ecclesiastes I (Eccle. 32, 25) : *in uia ruine non eas et non offendes in lapides*. Iterum peccatum facit animam de se ita desertam quod nec de se fructum facit nec uictualia possunt sibi aliunde portari. Opus enim bonum a se uidetur ab alio factum, non est sibi meritorium. Peccatum ergo magnam famem posuit in anima. Genesis 49 (47, 13) : *in toto orbe panis deerat et oppresserat fames terram maximam Egypti*. Contra ergo talem famem nullum apparent remedium nisi quod peccatores lapides commedunt, ruminando scilicet peccata que lapides sunt in corde per contritionem, et masticando ore per confessionem, et tunc uirtute diuina *lapides panes fiunt*. Hec est peccata que animam ledebant, ipsam nutririunt et inpinguant. Habemus ergo declaratum quod solum et summum remedium contra uenenum peccati est tyriaca, quam euangelium facit de uerbo uenenosi serpentis dicens : *lapides isti panes fiant*. Ista tyriaca possumus uti tripliciter : per modum tritici, et habemus alimentum confortatiuum uigoris, *panes* ; |23rb| per modum unguenti, et habemus medicamentum mitigatiuum doloris, *lapides*, ledens pedem, per modum electuarii uel siripi, et habemus purgamentum mundificatiuum humoris : hoc notatur in pronomine demonstratio quod meram substantiam signat, *isti*⁴.

[I] Circa primum nota quod homo non potest facere magnam uiam in modico tempore sine magno labore. Unde talis rediens domum indiget magna recreatione. Indiget enim cibo bene nutritiu-

¹ Non inueni.

² serpentis] mulieris exp. B.

³ affectus] affectionem P.

⁴ isti] illi B.

per quam uirtus pristina possit recuperari. Peccator ponens pedem affectionis in uia peccati facit in modico tempore magnam uiam, quia transit distanciam infinitam que est inter Deum et creaturam de corde peccatoris exeunte domum conscientie, unde potest dici illud Prou. a (7, 19) : *non est uir in domo sua abiit uia longissima*. Via ergo peccati sine magno labore transiri non potest. *Lassati sumus in uia iniquitatis et perditionis ambulauimus uias difficiles*, Sap. 6 (5, 7). Peccator ergo rediens ad domum conscientie indiget bene cibo confortatiuo uigoris, iste est panis. Ps. (103, 15) : *panis cor hominis confirmat*. Propter hoc Saluator noster in Luca docet nos qualem cibum debeamus dare cordi nostro reuertenti de uia peccati ad domum conscientie, dicens (Luc. 11, 5-6) : *commoda mihi tres panes quoniam amicus meus uenit de uia ad me*. Amicus est cor nostrum. Magnum signum amicitie est quando homo condolet aduersitati alterius et congaudet prosperitati. Sic cor |23va| condolet lesioni cuiuslibet membra et congaudet delectationi. Item signum est amicitie quod, aliis membris quiescentibus et dormientibus, pro salute aliorum cor uigilat et laborat. Unde in Can. (5, 2) : *ego dormio et cor meum uigilat*. Iste ergo tamquam uerus amicus est diligendus et custodiendus. *Omni custodia, serua cor tuum, quia ex ipso uita procedit*, dicit Sap. (Prou. 4, 23). Vie sunt bona fortune ; ratio est quia preter uias cetera bona temporalia sunt aliquibus appropriata, set uie sicut omnibus sunt communes quia omnes indifferenter tamquam boni quam mali in eis uadunt. Talis est differentia inter bona gratiseet bona fortune, quia bona gratis gratiam facientis solum sunt appropriata bonis, et mali nihil habent bona gratie gratis data, Spiritus Sanctus dedit singulis prout uult. *Diuisiones gratiarum* etc. (I Cor. 12, 4). Set bona fortune omnibus sunt communia et frequenter plus malis quam bonis. Per istam uiam incedit cor quando in bonis fortune ponit pedem affectionis. Sicut enim ueraciter dicitur quod corpus ubique uadit ubi ipsum portant pedes sui, ita de corde, ubi ipsum portat affectio. *Ubi enim est thesaurus tuus ibi est et cor tuum* (Matth. 6, 21). Quando ergo amicus iste reuertitur ad domum conscientie de uia peccati, indiget triplici pane contra tria discrimina que de uia ista reportat. De uia enim, si sit sordida, redit homo sordidus et immundus, idcirco indiget pane purificante ; si sit longa redit fessus, et indiget pane fructificante ; si sit uia sterilis, redit macilenter et famelicus, indiget pane impinguante, quia uia peccati longa sit |23vb| et homo inde rediens est fessus. Supra est declaratum quod sit immunda, et homo sordidus ab ea redeat ; sic appetit argentum inter illa bona fortune esse desideratissimum et mundissimum. Hanc mirabilem conditionem habet quod si inuoluatur in panno lineo et mundo, panus ille cicatricem magnam contrahit et indiget locatione. Idem facit argentum in conscientia diuitis, unde *denigrata est super carbones facies eorum* in Tren. (4, 8). Talis ergo immunda¹ bene indiget locatione uel pane mundificante. Quod autem amicus iste a uia peccati redeat famelicus et macer, sic patet homo esuriens qui dormiendo sompniat se comedere, credit habere panem in manu et sompniando super hoc delectatur, in nullo tamen satiatur. Unde quando expergefactus est, inuenit manum uacuam et uentrem² et se famelicum sicut prius ; sic diuites

¹ immunda] munda *P.*

² uentrem] mentem *P.*

credentes se satiari bonis temporalibus, que tamen in nullo satiant set magis prouocant appetitum, quasi sompniantes delectantur set, cum in hora mortis expergefiunt, manum uacuam bonis temporalibus inueniunt. Ps. (75, 6) : *dormierunt sompnum suum* etc. Item animam uacuam bonis spiritualibus, Ysa. 29 (8) : *sompniat esuriens, et commedit, cum autem expergefatus, fuerit uacua est anima eius.* Redit ergo amicus famelicus et macillentus de hac uia.

Circa¹ primum istorum indiget pane mundificante. Iste est panis contritionis qui debet esse piscis cum aqua calida lacrime deuotionis. |24ra| *Cibabis nos pane lacrimarum*, Ps. (79, 6). Quod iste panis purificet patet : medicus habens infirmum in cura sua, ad cuius purgationem uirtus nature non sufficit, dat sibi medicinam et, ne infirmus eam abhorreat quia de uili materia facta est, inuoluit eam nebula pane, scilicet subtili, alias si eam mundam et sine pane recipere², forte cor propter abominationem creparet. Morbus peccati talis est quod quilibet potest eum incurrire per se, set uirtute propria resurgere non potest nisi adiutorio medici, scilicet Spiritus Sancti, cui attribuitur iustificatio. Iste ergo accipiens peccatorem in cura primo dat sibi medicinam de uili et horribili materia factam, quia uilitatem et errorem peccati reducit ad memoriam peccatorum. Ne tamen ista medicina tantam abominationem causet, quia cor peccatoris crepet per desperationem, sicut de Iuda legitur quod *suspensus crepuit* melius (Act. 1, 18), inuoluit eam pane, hoc est uirtute spei, ita quod in contritione sunt duo, scilicet displicantia peccati et spes uenie consequende. Est ergo contritio panis purificans, iste est *panes propositionis* qui dicitur in Can. I (Mt. 12, 4), panis sacrificans proposita nostra. Iterum panis iste debet coqui in igne uel furno caritatis. Non enim est perfecta contritio que solum prouenit ex timore, nisi ueniat principaliter ex amore. Qui enim expectaret coquere³ panem in cibano usque ad horam prandii non haberet eum paratum ad tempus. Hora prandii uel cene est finis uite qua inuitamur ad prandium bonorum. Modo ille qui |24rb| differt panem contritionis coquere usque ad illam horam, timendum est quod non habeat sufficientem contritionem. Unde si aliqui tunc uideant[ur] contriti, uerissimum quod illa contritio ueniat ex timore et quod panis iste non sit contritus igne caritatis ; set aliquibus ex gratia spirituali Deus panem hunc prebuerit, iuxta illud Ps. (Sap. 16, 20) : *panem de celo prestitisti eis.* Iste ergo panis contritionis debet esse pistus aqua lacrimose compunctionis et coctus igne caritatis, iuxta illud Ecc. (39, 31) : *initium neccessarie rei uitiae hominis aqua, ignis et panis.*

Secundus panis, scilicet fortificans, est panis confessionis coctus in cibano ueritatis ; inter alia mentem confirmat : *panis cor hominis confirmat*, Ps. (103, 15). Numquam potest ita bene sumi experimentum de fortitudine sicut quando multos aduersarios inpungnantes ipsum set contra omnes potest preualere. Veritas inter alia plures habet aduersarios nam quilibet eam impugnat. Unde uidemus hodie quod zelatores ueritatis ab omnibus odiuntur et mendaces et adulatores diliguntur. *Suaus est*

¹ circa] contra P.

² recipere] recipiet P.

³ coquere] nutrire P.

homini panis mendacii, dicit Sap. (Prou. 20, 17). Item fortem aduersarium habet, quia principalis est dyabolus. *Quia mendax est et pater eius* (Ioh. 8, 44) quia igitur unumquodque uincitur a suo contrario, numquam est dyabolus perfecte uictus, quantumcumque commedit homo panem contritionis, nisi uerificat eum ueritate confessionis. Iste est ergo panis fortificans ad dyabolum perfecte uincendum. Figura de Helya qui obdormiuit subtus umbram iuniperi (III Reg. 19, 6) : *et ecce ad caput eius subcinericius panis et |24va| uas aque, usque ibi (19, 7) : et ambulauit in fortitudine cibi illius XL diebus et XL noctibus usque ad montem Dei Oreb.* Helyas dormiens signat peccatorem quem Dominus aliquando per angelum, scilicet predicatorem uel bonum prepositum¹, excitat a peccato et ecce inuenit panem subcineritium et uas aque, id est panem contritionis et aquam deuotionis. Iste tamen perfecte de peccato non surgit set iterum faciliter obdormit, nisi secundo comedat panem confessionis, et tunc perfecte surgit. Quod autem *in fortitudine cibi illius ambulat XL diebus et XL noctibus usque ad montem Dei Oreb* significat quod qui istum duplē panem comedit in fortitudine eius post Quadragesimam istam in Pascha secure potest ad montem Dei, ad locum ita altum sicut est altare Dei ascendere, alias nullo modo.

Tertius panis est impinguans, scilicet panis satisfactionis, quod sic patet. Contrarie complexiones requirunt contrarios cibos et contraria tempora. Unde cibus conueniens uni complexioni est contrarius alteri. Unde alius est in estate pinguis, in hyeme macillentus, alius e contrario. Contrarie complexiones sunt anima et corpus, quia desiderium spiritus contrariatur concupicia carnis et e contrario. *Caro concupiscit* etc. (Gal. 5, 17). Et ideo cibus ille qui bonus est ad corpus impinguandum, tollit gratiam que est crassitudo mentis, unde gratia quasi crassa² temporum [est] talis contritio. Propter impinguationem corporis multi crassitudinem gratie perdiderunt set ecce tempus aptum pro crassitudine anime recuperanda. *Ecce nunc tempus acceptabile* etc. (II Cor. 6, 2). Panis ergo |24vb| penitentie qui est corporis attenuatus est ille quo uti debemus hoc tempore pro anima impinguanda, iste est *panis frugum terre uberimus et pinguis* (Is. 30, 23) et in Gen. (49, 20) : *Aser pinguis panis eius*, Aser interpretatur uidens uigilias³. Iste panis debet esse coctus in clibano humilitatis, quod sic patet. Panis malus in uentre si retineret propriam quantitatem quod illud momentum penitentie quod homo facit et reputat magnum et uult ab aliis magnum reputari, illud bene facit cor inflammare per superbiam et uanam gloriam et crepare frequenter per impatienciam set animam impinguare non potest, nisi uirtute humilitatis diuinatur et quasi in nichil redigatur nec facta sua reputando nec uolendo quod ab aliis reputentur. *Superbis enim Deus resistit humilibus* etc. (Iac. 4, 6). De hoc pane potest intelligi illud Leuit. (2, 4) : *sacrificium coctum in clibano panis absque fermento.* Fermentum facit pastam inflare et facit panem pungitium aliquantulum⁴ et istud fermentum est ypocrisis. Iuxta illud (Luc. 12, 1) : *abstinete uos a fermento Pharisaeorum que est ypocrisis.* Que si admisceatur cum

¹ prepositum] proposutum P, B.

² crassa] grassa B.

³ Non inveni.

⁴ pungitium aliquantulum] aliquantulum pungitium B.

pane penitentie facit animam inflare per superbiam et cum hoc reddit hominem ita pungitium quod omnes alios uult mordere, accusare et facta eorum iudicare. Debet ergo panis penitentie quem Deo sacrificamus esse sine fermento ypocrisis, quod fit quando coquitur in clibano humilitatis. Figura de hoc in Ex. (12, 39) ubi legitur quod filii Israel quando egressi sunt [25ra] Egyptum ut irent ad terram promissionis, *fecerunt sibi subcinericios panes azimos*. Hoc est illi qui egrediuntur Egyptum, tenebras peccatorum, uolentes per desertum penitentie ad terram promissionis uenire, debent istum panem comedere sine fermento ypocrisis coctum in clibano humilitatis, ut perueniant¹ ad terram promissionis. Unde *qui humiliatus fuerit erit in gloria* (Iac. 22, 29). Ad quam nos perducat.

¹ perueniant] perueniat *P.*

SERMON 11

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 25ra-28rb ; Toulouse, Bibl. mun. 338, f. 122va-128va.

Bibliographie : édition par Vincent Serverat en appendice à son article : « *Trouver chaussure à son pied*. Un passage anti-lullien dans un sermon de Guillaume de Sauqueville », dans *Archives d'histoire doctrinale et littéraire du Moyen Âge*, 62, 1995, p. 443-469.

Plan :

Thème – Le cuir de la chaussure s’adapte à la taille du pied.

- Comparaison avec les bénéfices ecclésiastiques
- Comparaison avec les vertus théologales.

Division

I – La charité est la plus importantes des vertus :

- Elle est indispensable et permet de mesurer les mérites.
- Elle incite à la modestie.

II – La charité est durable.

III – Elle assure un lien indéfectible avec le Christ.

F. 25ra : *Maior horum est caritas* (1 Cor. 13, 13).

[Thème] Quamvis dicat uulgare prouerbium : « Iuxta talem formam, tale calciamentum », nihilominus tamen sotulares nimis stricti uel parui, ut maiores fiant et pedem non ledant, poni solent in forma maiori. Forma enim maior sotulare dilatat corium et facit calceum augmentari. Reducamus hoc ad mores primo, ad propositum nostrum secundo.

Ad mores primo quidem per calciamenta ad tuitionem pedum inuenta, facta de corio animalium mortuorum, intelligo beneficia ecclesiastica seu redditus clericorum. Bona ecclesiastica, unde sunt ? Suntne de corio animalium uiuorum ? Vere non, set de corio mortuorum. Quia enim caritas *non querit que sua sunt*, I Cor 13 (5), ideo olim principes, barones, domini temporales, qui mortui sunt, de caritate nimia excoriabant se ipsos, spoliabant se redditibus suis ut calciarent pedes ecclesie nudos, pauperes ministros Christi, ut essent *calciati pedes in preparatione euangelii pacis*, Eph. (6, 15). De corio mortuorum, precipue de corio illius nobilissimi principis Constantini imperatoris, calciata est [25rb] Ecclesia ita pulcre ut uidetis, Can. 2 (7, 1) : *quam pulcri sunt gressus tui in calciamentis filia principis*. Calciamenta ista non sunt de corio uiuorum : domini temporales qui nunc uiuunt, non excoriant se propter Ecclesiam, ymmo e contrario ipsi excoriant et spolian eam. Tot decime, tot collecte, tot exactiones sunt hodie quod, si negocium diu procederet sicut incipit, Ecclesia Dei in breui poterit dici *domus discalciati*. Deut. 26 (25, 10) : *uocabitur nomen Israel domus discalciati*. Timeo quod in breui uerificetur uaticinium Ysaie dicentis (3, 12) : *populum meum exactores spoliauerunt et mulieres dominate sunt eius*, sequitur (Is. 3, 18-19) : *in die illa auferet*

Dominus ornamenta calcimentorum eius et torque et monilia et armillas et mitras. Notate uerba : duas causas innuit Ysaias quare Ecclesia Dei adhuc posset dici *domus discalciati*.

Primo quia *populum meum exactores spoliauerunt*, propter scilicet exactiones que modo fiunt. Et uere credo quod iusto Dei iudicio permittitur illud quod Ecclesia sic discalcietur. Frustra enim permittetur habere calceos qui semper dimitteret pedes suos nudos. Pedes nudi ad quorum usum ordinantur calcimenta sunt pauperes Christi, propter quorum sustentationem data sunt beneficia ecclesiastica. Bernardus¹ : « Bona ecclesiarum patrimonia sunt pauperum. » Hec autem calcimenta, que deberent consumi in usu pedum, consumuntur in pompis et superfluitatibus, in acquirendo fauores diuitum. Bernardus² : « O uanitas uanitatum set non uanior quam insanior ! Ecclesia in pauperibus |25va| eget et suos paries auro induit et suos pauperes nudos deserit. De sumptibus egenorum seruitur oculis diuitum. » Si ergo non debet permitti habere calceos qui semper dimittit pedes suos nudos, non est mirum si Deus permittit ut uiri ecclesiastici quod priuentur calceis qui tota die uident pauperes Christi nudos et non induunt nec inuitant, Iohannes prima canonica tertio (3, 17) : *qui habuerit substantiam huius mundi et uiderit fratrem suum neccesse habere, quomodo caritas Dei manet in illo.* Propter deffectum caritatis qui est in ecclesia, permittit Deus ut quod non habet Christus tollat fiscus. Ideo dicebat propheta (Is. 3, 12) : *populum meum* etc.

Secundam causam innuit cum dicit : *et mulieres dominate sunt eius.* Scitis uos qui erant illi quorum nomen uocabatur in Israel *domus discalciati* ? Ad litteram, illi quos mulieres discalciabant, quorum calcimenta mulieres tollebant³. Quando ergo ueniet dies illa quod bona clericorum, que sunt calcimenta pauperum, mulieres tollent, meretrices expendent, tunc ecclesia Dei erit ueraciter *domus discalciati*. Ideo dicit Ysa. (3, 18) : *in die illa auferet Dominus ornamenta calcimentorum* etc. Habemus ergo calcimenta, beneficia ecclesiastica, forme sunt persone ecclesiastice. Clerici enim debent esse laycis forme et exemplaria bene uiuendi. Prima Pe. 9 (5, 3) : *non ut possidentes in dominis set formae* etc., et prima Thym. 4 (12) : *exemplum esto fidelium in uerbo, in conuersatione, in fide et castitate.* Talem formam exhibebat Apostolus qui dicebat |25vb| 2 Thess. 3 (9) : *ut nosmet ipsos formam daremus nobis ad ymitandum nos.* 2 Phil. 3 (17) : *ymitatores mei estote, obseruate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram.* Sic habemus calcimentum et formam, beneficium ecclesiasticum et personam. Hoc certe deberet habere locum uulgare proverbiu : « Iuxta talem formam, tale calcimentum », quia beneficia ecclesiastica deberent distribui secundum mensuram ualoris personarum, ut semper melior persona haberet melius et maius beneficium. Propter hoc fuit primitus inuenta illa distributio formarum romana de forma pauperum et aliis formis, [ut] fieret iuxta formam calcimentum, ut beneficia distribuerentur secundum merita personarum. Videamus si sit bene iuxta formam calcimentum quando uni uiro litterato, prouecto, morgenato, uix confertur unum

¹ Ps.-Augustinus Belgicus, *Sermones ad fratres in eremo commorantes*, 21 (PL 40, 1269).

² *Manipulus florū*, Ecclesia M (Bernardus in apologetico) ; Bernardus Clareuallensis, *Apologia in Guillelmum abbatem*, XII, 28 (SBO, III, p. 105).

³ tollebant] tollerabant P.

miserum beneficium et tamen hoc est ualde iniustum. Non est facere « iuxta talem formam, tale calciamentum ». Hoc sit dictum ad mores primo.

Ad propositum, calciamenta sunt pedum indumenta. Duo autem pedes anime, quibus ipsa pergit et tendit in Deum, sunt intellectus et affectus. De hiis pedibus debet intelligi uerbum allegatum : *calciati pedes in preparatione euangelii pacis* (Eph. 6, 15). Sicut enim pedibus debilibus non sufficit quod sint induti corio proprio, set indigent sotularibus factis de corio fortiori, de corio alieno, sic pedibus anime debilibus in uia ad tenendum in Deum perfecte non sufficit quod sint induti corio proprio, id est uirtutibus acquisitis per actus suos proprios, |26ra| set indigent indui sotularibus : *quousque induamini¹ uirtute ex alto* (Luc. 24, 49). Duo autem sotulares, quibus duo pedes anime induuntur, due uirtutes sunt supernaturales, fides scilicet et spes : fides que calciat et induit pedem intellectus, spes que calciat pedem affectus. Ex. XI (12, 11) : *calciamenta habebitis in pedibus*. Modo sicut postea diffuse ostendam, sotulares isti, [si] nimis parui essent, nimium arctarent nisi ponerentur in forma maiori. Forma autem sotularium est caritas, forma uirtutum, ideo solet dici quod fides sine caritate est fides informis.

[Division] Hic ergo defecit uulgare prouerbium « iuxta talem formam, tale calciamentum », quia caritas, forma uirtutum, maior est inter eas, dicente apostolo (I Cor. 13, 13) : *maior horum est caritas*. Ubi appareat quod caritas pre aliis uirtutibus habet quantitatem excessiuam capacioris mensure, *maior horum* ; entitatem duratiuam stabilioris² nature, *est* ; potestatem unitiuam perfectionis iuncture, *caritas*. Est enim caritas uis unitua que coniungit amantem amato ut sint anima una et cor unum in duo.

[II] De primo uero dictum est quod necessitas ponendi sotulares in mensura uel in forma maiori est ut maiores fiant et pedes non ledant. Hac dupli de causa oportet caritatem formaque uirtutum esse maiorem earum. Primo quidem etc. Fides, spes, quecumque uirtutes alie modicum uel nihil prosunt sine caritate. In epistula hodierna (I Cor. 13, 2-3) : *si habuero prophetiam et nouerim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem* |26rb| *ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nichil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nichil mihi prodest*. Breuiter uult dicere quod actus quarumcumque uirtutum sine caritate meritorii non sunt. Huius ratio est : aliique sunt merces que communiter non uenduntur nisi cum pondere, et in uenditione seu et emptione talium, non attenditur ad quantitatem dimensionum set ad quantitatem ponderis tantum modo. Beatus Augustinus³ loquitur in persona Christi tamquam in persona mercatoris merces uenales habentis : « Venale habeo. Quid, domine ? Regnum celorum quo emitur ? Paupertate regnum, labore requies, dolore gaudium, ignorantia gloria, morte uita. » Mercator iste merces suas non uendit nec

¹ induamini] induimini *P.*

² stabilioris] subtilioris *P.*

³ cf. Augustinus Hipponeensis, *Enarrationes in Psalmos*, ps. 93, par. 24 (E. Dekkers et J. Fraipont, SL 39, 1956, p. 1325).

nostras recipit nisi cum pondere. Pondus autem cum quo Dominus mensurat merces, hoc est merita nostra, est caritas. « Pondus meum, amor meus », dicit Augustinus¹. Unde sine isto pondere, sine caritate, nulla opera nostra acceptantur a Deo nec sunt digna merito uite eterne, et sustinere martirium sine caritate non est meritorium. « Vide quantum bonum est caritas. Si ita martirium fecerimus², ut nostras uelimus ab omnibus reliquias uenerari, et opinionem uulgi sectantes, intrepidi sanguinem fuderimus, et si substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tam premium quam pena debetur, et perfidie sunt tormenta magis quam corona uictorie³. » In mercatione que currit inter Deum et nos non attenditur ad quantitatem dimensionum, numerositatem operum, set ad quantitatem ponderis solum. Augustinus⁴, de Laude caritatis : « Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, set maior caritas meliorque uoluntas auget meritum. » Apostoli sunt maximi meriti apud Deum, et tamen dicit Hieronymus in epistula ad Paulum⁵ : « Apostoli tantum nauem et rethia reliquerunt : uidua duo era mittit in gazophilacium et prefertur diuitiis. » Rationem assignat Gregorius⁶, in omelia 6, quod « in hac re affectum potius debemus pensare quam censem. » Vere si attenderetur ad quantitatem dimensionum, numquam emeremus paupertate regnum. Quantitas dimensionis est quantitas que occupat locum, unde maiores dimensiones maiorem occupant locum. Iterum quantitas dimensionum non compatitur aliam quantitatem secum. Spiritualiter quantitas dimensionum que non compatitur aliam quantitatem secum est cupiditas diuitiarum que non compatitur caritatem secum, dicente Augustino⁷ : « Radix omnium bonorum est caritas et radix omnium malorum cupiditas. Et simul ambe esse non possunt quia, nisi una radicibus expulsa fuerit, alia plantari non potest. » Figuratum fuit hoc Deut. 6 (25, 13) ubi dicitur : *non habebis in sacculo diuersa pondera maius et minus pondus.* In sacculo anime sunt caritas et cupiditas, dicente Augustino⁸ : « Ubi est magna caritas, nulla cupiditas. » Dicit ergo *Non habebis in sacculo* etc. quia in sacculo anime magna caritas non stat simul cum cupiditate. Iterum quantitas dimensiua que occupat locum, et maior maiorem, est cu[m] cupiditas diuitiarum in mundo sicut maioribus et ditionibus mundo dat maiorem locum. Quod dicit Cato⁹ : « Maiori cede », hodie intelligitur de ditione. Et quamvis in foro mundi attendatur sic ad quantitatem dimensionum, in celo tamen fit oppositum quia pauperiores et humiliores sunt in celo maiores. In Mt. (18, 1), petebant discipuli a Christo : *quis putas maior est in regno celorum*, aduocans Ihesus paruulum dixit (Matth. 18, 4) : *quicumque humiliauerit se sicut*

¹ *Manipulus florū*, Amor H (Augustinus libro 13 Confessionum) ; Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII, XIII, 9* (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 246).

² fecerimus] facerimus P.

³ *Manipulus florū*, Caritas K (Hieronymus super epistolam ad Galatas et est 1.4.1 uide) ; Hieronymus, *Commentarium in epistolam ad Galatas*, III, 5 (PL 26, 410B).

⁴ *Manipulus florū*, Caritas D (Augustinus de Laude caritatis).

⁵ Hieronymus, *Epistulae*, 53, 11 (I. Hilberg, CSEL 54, 1996, p. 465).

⁶ Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri II*, I, 5, 2 (PL 76, 1093B).

⁷ *Manipulus florū*, Caritas B (Augustinus homilia 7 super Johannem) ; Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalmos*, ps. 90, sermo 1, par. 8 (ed. O. Dekkers et J. Fraipont, SL 39, 1966, p. 1260).

⁸ Non inveni.

⁹ Ps.-Cato, *Disticha Catonis*, 10 (A. Baehrens, *Poetae latini minores*, Teubner, 1881, vol. 3, p. 215).

paruulus iste hic maior est in regno celorum. Iuxta quod dicit Crisostomus¹ : « Quicumque desiderat primatum celestem sequatur humilitatem terrestrem. Non enim qui maior est in honore ille maior est in celo, set qui iustior ille maior ». Figura ad hoc in Gen. (43, 33) quod cum fratres Ioseph discumberent *coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua et iunior iuxta etatem suam. Datis partibus singulis maior pars uenit Beniamin ita quod uere partibus excederet.* Beniamin interpretatur filius uirtutis², et significat illum qui, per uirtutem caritatis, factus est re et nomine filius Dei. Prima Io. 6 (3, 1) : *uidete qualem caritatem dedit nobis Deus ut filii Dei nominemur et simus.* Fratres Ioseph recumbentes coram eo sunt recumbentes beati cum Christo in regno celorum, iuxta illud (Luc. 9, 14) : *facite illos discubere et transiens ministrabit illis* (Luc. 12, 37). Quod ergo *datis partibus singulis maior pars uenit Beniamin* qui erat minimus inter omnes, hoc figuratiue designat quod Deus in remuneratione bonorum non attenditur ad quantitatem dimensionum, quia ille qui |27ra| est minor per ueram humilitatem et uoluntariam paupertatem, iste est maioris ponderis apud Deum et in quinque partibus alias excedit, scilicet in beatitudine anime et in quatuor dotibus corporis. Et sic patet primum.

Ostendo secundo quod sine caritate pedes anime nimis arctarentur. Primo quidem fides multum arctat pedem intellectus. Ideo dicuntur articuli fidei, quia arctant intelligentiam ad credendum ea que non uidentur consona rationi. Augustinus³ : « Quid est fides ? Credere quod non uides. » Set specialiter pes inflatus plus arctatur, plures molestias patitur infra calceum strictum quam pes non inflatus, et in tantum quod propter inflaturam oportet rumpere uel ex toto deponere sotularem. Illa autem que inflat pedem intellectus est sciencia. *Sciencia inflat, caritas edificat* (I Cor. 8, 1). Unde Bernardus⁴ : « Cibus indigestus corpus corruptit, inflatum et ydropitum reddit. Si digestus fuerit, nutrit. Sic sciencia stomacho anime ingesta, si non fuerit igne caritatis decocta, malos humores generat. » Numquid homo qui habet pedem nimis inflatum sciencia philosophica plures molestias patitur, plus dubitat circa fidem quam una simplex uetula ? Una paupercula uetula minus dubitat in fide quandoque et melius credit quam unus magister in theologia. Dictum est illi : *mulier, magna est fides tua*, Mt. 16 (15, 28). Petro qui interpretatur agnoscens, dictum est (Matth. 14, 31) : *modice fidei quare dubitasti ?* Unde quidam moriens dixit : Utinam credidisse sicut mater mea credidit ! Aliqui propter nimiam inflaturam, propter nimiam superbiam, totaliter cal|27rb|ceum deposuerunt, apostatauerunt et turpiter errauerunt, et tamen, quod nimis est absurdum, dicta talium frequentius allegantur in scola theologie quam dicta sanctorum. Alii habentes pedem inflatum destruunt calceum quia, presumentes aliqui de sciencia sua et de ingenio naturali, nituntur scientifice demonstrare ea que

¹ *Manipulus florum*, Honor K (Crisostomus super Mattheum) ; ps.-Iohannes Crisostomus, *Opus imperfectum. In euangelium Matthaei*, 25 (PG 56, 830).

² Hieronymus, *Epistulae*, 66, 4 (I. Hilberg, CSEL 54, 1996, p. 651).

³ *Manipulus florum*, Fides G (Augustinus super Johannem) ; Augustinus Hipponensis, *In Iohannis euangelium tractatus*, XL, 9 (R. Willems, SL 39, 1954, p. 355).

⁴ *Manipulus florum*, Caritas T (Bernardus super illud : *Sciencia inflat, caritas edificat*) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones super Cantica Canicorum*, III, 4 (SBO, II, p. 6).

sunt materie fidei, quod non est fidem astruere set destruere, dicente Gregorio¹ : « Diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis ; nec fides habet meritum, cui humana ratio prebet experimentum. »

Secundus calceus ledit aliqualiter suum pedem quia *spes qui differtur affigit animam*, Prou. 13 (12), et precipue pedem inflatum. Sicut enim pedem intellectus inflat sciencia, sic pedem affectus inflat malicia. Hec inflatura quandoque est tanta quod hominem facit calceum deponere, facit hominem desperare de salute sua et dicere : *maior est iniquitas mea quam ut ueniam merear*, Gen. 4 (13). *Non habent futurorum spem mali*, Prou. 24 (20). Ambo igitur sotulares nimis arcant pedes, set caritas inflaturam tollit, dilatat ambos sotulares, tollit quidem inflaturam sciencie, dicente Augustino² de doctrina christiana : « Amate scienciam set anteponite caritatem. Sciencia si sola sit, inflat. Caritas uero que edificat non permittit scienciam inflari », tollit insuper inflaturam malicie, dicente Augustino³ : « Omnia sacramenta habere et malus esse potest. Caritatem autem habere et malus esse non potest. » Iterum utrumque calceum adeo dilatat quod secundum apostolum : *caritas omnia credit, omnia sperat*, |27va| I Cor. 12 (13, 7). Ipsa ergo bene habet quantitatem excessiuam ut dicatur de ea *prior in donis, maior in imperio*, Gen. (49, 3). *Prior in donis* : inter dona uel uirtutes infusas a Deo.

[II] De secundo principali nota : quod fit non est ratio huius quod est, quia futuri est uia ad esse. Et ideo quamdiu res est futuri non debet dici simpliciter esse. Vita autem presens non est nisi quedam futuri, quedam uia. Ps. (108, 8) : *fiant dies eius pauci. Hec uia ambulate in ea* etc. (Is. 30, 21). Ita cito preterit presens uita que de nulla re que duret solum tempore presentis uite debet dici simpliciter esse set magis fuisse. Apo. III (17, 11) : *bestia quam uidisti fuit et non est*. Bestia est uita corporalis, in qua homo assimilatur bestiis. Hec bestia non est, set fuit, quia *mille anni ante hoc tempus tamquam dies hesterna que preterit* (Ps. 89, 4). Cum ergo fides et spes sint habitus ipsius uie, *ambulamus enim per fidem*, 2 Cor. 9 (5, 7), de nulla earum debet dici simpliciter est. Ideo dicit Apostolus loquens de eis : *cum uenerit quod perfectum euacuabitur* etc. prima Cor. 13 (10). Set quia *caritas numquam excidit* ibidem, ipsa uere et proprie est, ut dicatur de habitu caritatis illud, 2 (I) Cor. primo (1, 19) : *non fuit in illo "est" et "non est" set "est" in illo est*. Et uidetur mihi quod est recte de caritate respectu aliarum uirtutum, sicut de hoc uerbo ‘est’ respectu aliorum uerborum. Hoc uerbum ‘est’ supplet uicem cuiuslibet uerbi cum participio alterius : percutit, percutiens est ; patitur, patiens est. Sic caritas supplet uicem cuiuslibet uirtutis et habens caritatem participat omnem uirtutem, I Cor. 13 (4) : *caritas patiens est, benigna est. Non emu|27vb|latur, non agit perperam*⁴ etc. que sequuntur.

¹ *Manipulus florum*, Fides O (Gregorius hom. 26 super euangelium) ; Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri duo*, II, 26, 1 (PL 76, 1197C).

² *Manipulus florum*, Caritas E (Augustinus de doctrina christiana) ; Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 354, 6 (PL 39, 1566).

³ *Manipulus florum*, Caritas C (Augustinus de Laude caritatis) ; Augustinus Hipponensis, *In Iohannis epistulam ad Parthos tractatus*, VII, 6 (PL 35, 2032).

⁴ perperam] properam P.

Idem dicit Augustinus¹, de Laude caritatis : « Caritas in aduersitatibus tollerat, in prosperitatibus temperat ; in duris passionibus fortis est, in bonis operibus preclara² est, in temporalibus ditissima, in hospitalitate latissima, inter bonos fratres letissima, inter falsos patientissima. » Sequitur : *quid dicam de caritate ? Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habuero nichil sum* (I Cor. 13, 1-2). Sola ergo caritas uere et proprie est ut dicam de habitu caritatis illud Iob (9, 24) : *si illud non est quis ergo est.*

[III] De tertio principali, nota quod iunctura perfectissima que disiungi non potest est iunctura uinculi matrimonialis, dicente Christo : *quod Deus coniunxit homo non separet*, Mt. X (19, 6). Vinculum sponsalium, respectu matrimonii, est uinculum imperfectum. Spiritualiter autem anima desponsatur Christo anulo fidei : *sponsabo te mihi in fide*, Osee (2, 20), unde uinculum imperfectum. Set uinculum matrimoniale quo anima iungitur Christo perfecte est uinculum caritatis. Col. 3 (14) : *super omnia caritatem habentes que est rei perfecte*. Caritas ita perfecte iungit animam Christo quod *Deus caritas est et qui manet in caritate in Deo manet et Deus in eo* (I Joh. 4, 16). Comparatur autem caritas uinculo matrimoniali pro tanto quod matrimonium nondum consumatum solui potest per mortem ciuilem, alio modo non. Mors ciuilis est mors peccati per quam homo excluditur a caritate Dei. Per solum peccatum soluitur copula caritatis inter animam et Christum. *Iniquitates enim uestre deuiserunt inter uos et Deum uestrum*, Ysa. 69 (59, 2). Quod alio modo non soluatur patet Ro. X (8, 35) : *quis nos separabit a caritate Christi tribulatio etc.* Sequitur (Rom. 8, 38) : *certus sum quod neque mors neque uita etc.*, poterit nos separare a caritate Dei. Dicit *neque mors* quia hoc preest³ spirituale matrimonium super carnale, quia illud in morte soluitur, istud in morte perficitur. *Maiorem enim caritatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Io. 15, 13). Iterum illud conseruatur per corporis coniunctionem, istud conseruatur per corporis dissolutionem. Ideo dicebat Apostolus (Phil. 1, 23) : *cupio dissolui et esse cum Christo etc.*, quia quamvis sponsa naturaliter diligat parentes suos et domum parentum, amore tamen sponsi tarde est sibi quod ueniat dies nuptiarum in qua transfertur ad domum et thalamum sponsi sui et dimittit domum parentum. Spiritualiter si sponsa Christi est anima fidelis, domus parentum suorum est domus corporis, *domus lutea que terrenum habet fundamentum*, Iob (4, 19). Ideo sanctus ille Iob describens parentelam suam dicit sic (Iob 17, 14) : *putredini dixi : Pater meus, mater mea, et soror mea etc.* Modo constat quod corpus humanum est domus putredinis et domus uermium. Ex hiis enim que exeunt de domo corporis potest sciri qui sunt illi qui morantur ibi : per singula ostia, per singulos meatus non nisi uermes, putredines, sudores, fetores. Hugo⁴, de Claustro anime : « Nichil aliud est caro, cum qua nobis tanta

¹ *Manipulus flororum*, Caritas A (Augustinus de Laude caritatis) ; Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 350, 3 (PL 39, 1534).

² *preclara*] *preclaris* P.

³ *preest*] *preter* P.

⁴ *Manipulus flororum*, Caro siue corpus S (Hugo de clauistro anime libro 1 capitulo 1).

so[28rb]cetas, nisi spuma¹ caro factum fragili decore uestitum. Set quid erit quando erit cadauer miserum et putridum et cibus uermium ? Si diligenter consideres quid per os et nares et ceteros meatus corporis egreditur, numquam uilius sterquilinium uidisti. » Si ergo dicit Iob (25, 6) quod *putredo et uermes sunt parentes nostri*, cum caro nostra sit domus putredinis et domus uermium, patet quod anima, quamdiu manet in carne, moratur in domo parentum. Et quamuis anima naturaliter diligit corpus suum, tamen amore sponsi tarde est sibi quod dimittat corpus suum. Unde caritas facit hoc quod cupiat *dissolui et esse cum Christo*. II Cor. V (14-15) : *caritas Christi urget nos estimantes hoc quoniam si unus mortuus est omnes mortui sunt ut qui uiuunt iam non sibi uiuunt*. Notate uerba : dicit Philosophus² quod « anima est quo uiuimus. » Ergo ubi est anima ibi est uita, licet, secundum Augustinum³, « anima uerius sit ubi amat quam ubi animat. » Ergo anima, que Christum ex caritate amat, uerius uiuit Christo quam uiuat sibi ipsi uel corpori proprio. *Viuo ego iam non ego, uiuit uere Christus in me* (Gal. 2, 20). Illam uitam cum Christo nobis concedat qui sine fine etc.

¹ spuma] sperma *P.*

² Aristote, *De anima*, II, 2, 2 (*Aristotelis opera*, III, 1831, p. 215).

³ Cf. *Manipulus flororum*, Amor AO (Bernardus de Precepto et dispensatione) ; Bernardus Clareuallensis, *De praecepto et dispensatione liber*, 20 (PL 182, 892D).

SERMON 12

Deuxième dimanche de Carême.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 28rb-29rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 13rb-vb.

F. 28rb : *Miserere mei, Domine fili Dauid*, Mt. 15 (22). Facias de persuasione subsequentis¹ sermonis² *Osanna filio Dauid*³. Posito etiam introitu sermonis illius⁴, applica ad Christum qui est uerus heres regni Francorum inunctus et coronatus etc. In quibus uerbis mulier ista in persona anime peccatricis |28va| dicit sic : Domine, repose et recorde envers moy toun corage, *miserere mei*, fere le doys par resoun de lignage, *quia filius Dauid*, qui in sua misericordia consecutus est sedem regni, et pur resoun de ceo que jeo t'ey fet homage, *quia recognosco te dominum, Domine* inquit.

De primo potes dicere quod habes in introitu sermonis⁵ *Jhesu fili Dauid miserere mei*.

De secundo nota quod filius dicitur quia fit ut ille, unde filius qui non ymitatur conditiones patris dicitur degenerare. Modo magis est honorable puero quod sit similis patri quam quod sit similis matri. De illo enim qui patri assimilatur, presumitur quod sit legitime natus ; quando autem in nullo est similis patri, presumitur quod sit bastardus. Spiritualiter pater noster Deus est. *Unum patrem habemus Deum*, Jo. VIII (41). Mater omnium nostrum de cuius utero omnes egredimur, in cuius gremio nutrimur, terra est. De hac matre dicit Sap. Ecc. XL (1) : *occupatio magna creata est hominibus et onus⁶ graue super filios Adam a die exitus de uentre matris eorum usque in diem sepulture in matrem omnium*. Mater ista multos filios habet qui optime assimilantur sibi et pessime patri.

Conditiones terre sunt iste. Terra tenacior est quam cetera elementa. Terra plus habundat⁷ in materia quia tantum est de materia in pugillo terre quantum in X aque, in C aeris et in tantum ignis. Terra multiplicat semen quod recipit in tantum quod de uno grano facit XX. Set propter multiplicationem ista terra multotiens scinditur et aratur et finaliter, |28vb| quando est plena fructibus, cum falce nudatur omnis⁸ et totaliter spoliatur. Multi sunt similes terre in conditionibus istis, uidelicet homines tenaces et auari quorum unus habet tantum de materia quantum sufficeret ad sustentationem X uel C uel M hominum⁹. Totum studium suum est multiplicare pecunias, facere de uno denario X, de XX solis XX liberas ; in multiplicando sic pecunias arantur, scinduntur, patiuntur multas molestias. Quando multa congregauerunt, uenit princeps et mittit falcem in messem, facit unam talliam uel

¹ subsequentis] precedens B.

² Sermon 37.

³ Osanna – Dauid om. B.

⁴ illius] et add. P, B.

⁵ Sermon 14.

⁶ onus] bonus B.

⁷ abundat] habundet P.

⁸ omnis] eis P, B.

⁹ hominum] talium P.

extorquet unam grauem emendam. Violenter aufertur ab eis quod nolunt dare pauperibus gratis et si princeps non ponit falcem in uita, in morte ponuntur ibi tot falces quod ipsi nudi uel cum uno lintheo intrant sepulcrum, ex una parte metunt executores, ex alia heredes, ex alia debitores, breuiter nichil portant secum de omnibus que secum congregauerunt. *Diues cum dormierit nichil secum afferet* (Job 27, 19). Forte dices : Domine, ista est causa quare nolo dare pauperibus quia rex frequenter talliat me. Tot molestias habeo quod uix possum michi sufficere. Nichil est. Saluator in euangelio copulauit duos socios qui non separantur libenter unus ab alio. *Date inquit et dabitur uobis* (Luc. 6, 38). Vere si tu libenter dares pro Deo, Deus daret tibi satis set quia non uis dare, ideo permittit Deus quod illud quod habes aufertur a te. Unde Leo papa¹ : « Non timeamus [29ra] inter opera misericordie terrenarum diminutionem facultatum. Numquam enim efficacia miserendi deserit, in quo misericordia ipsa non deficit. » Exemplum in illa paupercula uidua de Sarepta que primo fecit Helye de farina sua subcinericum panem pro se et filio suo fecit postea et ex tunc : *ydria farine non defecit et lechitus olei non est minutus* etc., IIII (3) Reg. (17, 14). Reuera oleum diuine misericordie non deficit illi qui misericorditer pauperibus tribuit. Patet ergo quod illi de quibus dixi sunt similes matri : homines tenaces et immisericordes² non sunt similes patri quia Deus est *pater misericordiarum et Deus totius consolationis*, II Cor. Primo (3). Et ideo reputantur bastardi quia non assimilantur patri. *Si filii Abrahe estis, opera Abrahe facite*, Jo. VIII (39). Ibidem dicentibus Judeis : *nos ex fornicatione non sumus nati. Unum patrem habemus Deum* (Jo. 8, 41). Statim Christus respondit : *si Deus pater uester esset cognoscetis utique me* (Jo. 8, 42). Supple in pauperibus meis. Sequitur (8, 44) : *uos ex patre dyabolo estis* etc. Ergo si non uultis degenerare, si uultis esse *filii patris uestri qui in celis est*, Mt. V (45), *estote misericordes sicut et pater uester misericors est*, Luc. VI (36). Hoc est quod allegat ista mulier. Filius Dauid es qui misericors fuit, misericordiam negare non debes. Ps. (131, 1) : *memento Domine Dauid et omnis mansuetudinis eius.* Hoc fuit secundum. Fere le doys par resoun de lignage. Dicebatur tertio : et par resoun de ceo que jeo t'ey fet homage, *Domine*. De hoc homa[29rb]gio queras in fine illius sermonis³ *Saluatorem exspectamus* etc. Quere concordancias. Ultima autem concordancia poterit esse : *Dominus pars hereditatis mee et calicis mee, tu es qui restitues hereditatem meam mihi* (Ps. 15, 5). Ad quam nos perducat.

¹ Leo Magnus, *Tractatus septem et nonaginta*, 42 (A. Chavasse, SL 138A, 1973, p. 241).
efficacia] officia P ; deserit] deserunt P.

² immisericordes] set add. P.

³ Sermon 30.

SERMON 13

Deuxième dimanche de Carême.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 29rb-32rb.

Plan :

Thème – L’attribution des bénéfices ecclésiastiques. Les bénéfices de l’Eglise militante sont vacants :

- a. de fait
- b. de droit.

Division – Modalités de l’attribution des bénéfices.

I – Obligation de se conformer à la volonté suprême.

II – Quelles sont les lois auxquelles il faut obéir ?

F. 29rb : *Hec est uoluntas Dei sanctificatio uestra*, prima Thess. 4 (3).

[Thème] Summus pontifex uult et ordinat in decretalibus suis quod qui de nouo susciperit curam animarum ordinetur in sacris infra tempus certum. Simile autem statutum ego inuenio in decretalibus legis antique in secundo Paral. 29 (5) : *audite me Leuite et sanctificamini mundate domum Domini auferte omnem immundiciam de sanctuario*. Leuite dicitur quasi leuans aliorum uitam, domus autem uel sanctuarium est anima cuiuslibet sancti uiri. *Templum Dei sanctum est quod estis uos* (I Cor. 3, 17). Leuite ergo leuantes uitam aliorum quibus committitur mundare sanctuarium sunt illi qui suscipiunt curam animarum, istis dicitur *sanctificamini* quia tales, ut dixi, debent ordinari in sacris. Hoc ideo premisi quia secundum Apostolum summus *pontifex Christus est assistens futurorum bonorum*, ad Heb. (9, 11). Unde dicitur *futurorum bonorum*. Hoc enim habet summus pontifex super pontifices inferiores quod illi solum conferunt prebendas uacantes ; ipse autem confert prebendas et non uacantes. Ideo sunt in diuersis ecclesiis tot canonici exspectantes. Michi autem uidetur quod beneficia triumphantis ecclesie non sunt uacantia, set beneficia militantis ecclesie uacant de facto et de iure.

[a] De|29va|claro utrumque, primo quod uacant de facto. Vacante enim de facto sede episcopali, secundum iura, fructus et obuentiones episcopatus recipi debent in manu sequestri, ita quod ille qui redditus recipit fructus non percipit pro se ipso set seruat episcopo futuro, de quo ignoratur quis et qualis sit fructus. Manus sequestrata est manus auara que totum ponit in sequestro ; in hac manu recipiuntur hodie bona fortune que sunt beneficia militantis ecclesie. Ps. (25, 10) : *in quorum manibus iniquitates sunt dextera eorum* etc. Miser autem auarus sic bona fortune colligit quod fructus non percipit pro se ipso. Auarus enim numquam implebitur peccunia et qui amat diuitias fructum non capiet ex eis. Ad litteram auarus non audet sibi benefacere de suo et reseruat totum

futuro ignoto. Ps. (38, 7) : *thesaurizat et ignoratur cui congreget ea.* Seneca¹ : « Quanta dementia est heredi suo res procurare et sibi omnia negare. Magna hereditas ex amico inimicum facit : tanto plus enim gaudebit tua morte, quanto plus accepit. » Si hoc est dementie in uno layco qui thesaurizat filio proprio, eximie dementie est in uiro ecclesiastico. Ecces. 4 (Eccle. 4, 8) : *unus est et secundum non habet. Non filium, non fratrem et tamen laborare non cessat nec satiatur oculi eius diuitiis non recogitat, dicens cui labore et fraudo animam in bonis.* Si ergo episcopatus uacat de facto cuius fructus seruantur futuro ignoto, patet quod beneficia militantis ecclesie uacant |29vb| de facto ut dicatur de prebenda militantis ecclesie illud (Mt. 12, 44) : *inuenit eam uacantem scopis mundatam et ornatam.* Ille qui successit diuti auaro inuenit domum suam optime munitam et inuenit eam uacantem, hoc est futuro ignoto seruatam.

[b] Dixi secundo quod beneficia huius ecclesie uacant de iure. Hoc patet sic : beneficium tunc de iure uacat quando ille qui ius habebat in eo uoluntarie resignat. Beneficia ista de iure sunt bonorum, unde in Ecclesiastico (Eccle. 39, 30) : *bona bonis creata sunt ab initio* et postquam enumerauit bona diuersa subdit (Eccle. 39, 32) : *hec omnia sanctis sunt bona.* Verum est quod de facto mali occupant ea. Ps. (72, 12) : *ecce ipsi peccatores habundantes in seculo optinuerunt diuitias.* Modo sancti uiri quorum sunt ista de iure resonant uoluntarie, dicentes cum Petro (Mt. 19, 27) : *ecce nos relinquimus omnia et secuti sumus te,* et hoc est ualde necesse, cum dicat Christus (Luc. 14, 33) : *omnis ex uobis qui non renuntiauerit omnibus que possidet non potest meus esse discipulus,* unde hoc quod qui renuntiauerit etc. Causa est : unus et idem non potest deseruire duabus ecclesiis multum distantibus, ideo ubi beneficia [sunt] utriusque ecclesie deberet² habere residentiam³ et seruicium personale. Qui uult beneficium in una tenere oportet beneficio alterius resignare. Modo beneficia militantis et triumphantis ecclesie utraque debent [habere] beneficium personale: de beneficiis triumphantis ecclesie, non est dubium quod oportet ea deseruire, oportet mereri uitam eternam qui uult eam habere (Luc. 1, 74-75) : *seruiamus ei in sanctitate et iustitia* etc. Iterum de beneficiis militantis ecclesie patet quod qui uult |30ra| habere bona fortune oportet mundo seruire, oportet adulari, mentiri, ficte humiliari, subesse multis laboribus et multiplici seruituti, quod fuit figuratum in Genesi (29-30) ubi Jacob non solum seruauit pro Rachel, que interpretatur uisio⁴ et significat ecclesiam triumphantem, « cuius uisio tota merces⁵ » uerum etc. quod seruuit primo pro Lya laboriosa⁶, que significat ecclesiam militarem in qua homo nascitur ad laborem. Modo iste due ecclesie ita sunt remote quod idem non potest seruire utrique. Mt. VI (24) : *non potestis Deo seruire et Mammone.* Unde Jeronimus⁷ : « Audiat hoc auarus, audiat hoc qui censemur uocabulo christiano non

¹ Seneca, *Epistulae ad Lucilium*, 123, 11 (F. Préchac, Paris : Belles Lettres, 1964, p. 94).

² deberet] debetur P.

³ residentiam] residentia P.

⁴ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 70.

⁵ Cf. Augustinus Hippomensis, *Enarrationes in Psalmos*, 90, 2, 13 (E. Dekkers et J. Fraipont, SL 39, 1956).

⁶ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 68.

⁷ Hieronymus, *Commentarii in euangelium Matthaei*, I (D. Hurst et M. Adriaen, SL 77, 1977, p. 39).

posse simul diuitiis Christo[que] seruire. » Et tamen non dicit : qui habet diuitias, set : qui seruit diuitiis. Qui diuitiarum seruus est, diuitias custodit ut seruus. Qui autem seruitutis excussit iugum, distribuit eas ut Dominus. Quia ergo idem non potest utrique ecclesie deseruire, ideo sancti uiri uoluntarie resignant omnibus bonis fortune, et quia illi quorum sunt de iure uoluntarie resignant, ideo dixi quod de iure uacant. Non sic est de beneficiis ecclesie triumphantis. Illa siquidem de iure sunt pauperum. Luc. VI (20) : *beati pauperes spiritu quoniam uestrum est regnum Dei.* Mt. V (3) : *beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum celorum.* Jeronimus¹ exponit : « [Beati] pauperes spiritu qui propter Spiritum Sanctum uoluntate sunt pauperes. » Dicit enim Basilius² : « Non omnis quem paupertas premit beatus est set qui Christi preceptum mundanis pretulit operibus. » Plures enim sunt in substantia pauperes, auarissimi uero secundum affectum, |30rb| quos non saluat paupertas set affectus dampnat. Nichil enim inuoluntariorum beatificabile est eo quod omnis uirtus libero designatur arbitrio. Modo licet Christus pro se et suis pauperibus renuntiauerit expresse prebendis ecclesie militantis, dicens in Jo. (18, 36) : *regnum meum non est de hoc mundo,* bonis tamen glorie numquam resignauit. Ymmo dicit (Is. 42, 8) : *gloriam meam alteri non dabo,* alteri id est peccatori, qui est alienus a Deo. Ecce quod illa prebenda celestis non uacat de iure nec de facto, ex quo statim concludo quod summus pontifex Deus est quia ipse solus dat prebendas illas non uacantes quarum sumus canonici exspectantes. *Fili i sanctorum sumus et uitam illam exspectamus quam Deus daturus est* (Tob. 2, 18). Summus iste pontifex uult et ordinat quod qui de nouo suscipit curam animarum ordinetur in sacris infra certum tempus. Tempore preterito multi suscepérunt curam corporum et in tantum curauerunt de corpore quod curam anime neglexerunt, cum tamen dicat Apostolus ad Co. (Rom. 13, 14) : *curam carnis ne feceritis in desideriis.* Bene dicit *in desideriis.* Medicus enim si concederet infirmo quicquid desiderat, quicquid delectat, eius appetitus³ cito interficeret eum. Corpus humanum multipliciter est infirmum. *Spiritus autem promptus est, caro autem infirma* (Mt. 26, 41). Et ideo quicumque concedit corpori quicquid desiderat, qui concedit carni delicias quas effrenate appetit, corpus et animam simul interficit. *Si secundum carnem uixeritis moriemini* (Rom. 8, 13). |30va| Modo nos qui per totum tempus usque nunc egimus curam corporum. Prima Pe. 4 (3) : *sufficit preteritum tempus ad uoluntatem gentium consummandam qui ambulant in desideriis, luxuriis etc.* Nos, inquam, de nouo hic in principio suscepimus curam animarum, dicente Gregorio⁴ in collecta : « Hoc sollempne ieinium, quod animis corporibus que curandis salubriter institutum est etc. » Et Petrus Rauennas⁵ : « Quoniam, inquit, uernum ieinium et bellorum spiritualium tempus cernimus aduenisse, sic milites Christi uirtutum precedamus ad campum. Dedimus corpori integrum annum. [Dies paucos domus anime.] Impendimus nobis tempora, tempus deputemus auctori, uiuamus Deo paululum, seculo qui

¹ Hieronymus, *Commentarii in euangelium Matthaei*, I (D. Hurst et M. Adriaen, SL 77, 1977, p. 24).

² *non inueni.*

³ appetitus] appetitum P.

⁴ Leo Magnus, *Tractatus septem et nonaginta*, 78 (A. Chavasse, SL 138A, 1973, p. 494).

⁵ Petrus Chrysologus, *Collectio sermonum*, XII, 1 (A. Olivar, SL 24, 1975, p. 76).

uiuimus totum. » Hec cura animarum, que fit per ieunium Quadragesimum, requirit hominem sanctificatum, dicit enim Maximus¹ in quodam sermone, exponens illud Joel (1, 14) : *sanctificate ieunium* : « Quid aliud est sanctificare ieunium nisi sancta uelle, iusta facere, iniqua uitare ? Jejunium sanctificat, cuius iustitia pretiosum uilescit, qui flamas iracundie restringit, qui oculos ab aspectu turpi auertit, qui coiunctorum iacula telo patientie repercussus dispergit, qui ligantium tumultus prudentioris sermonis arce compescit, qui insurgentium uanarum cogitationum spinas uelut quidam sui peccatoris arator excident. » Iterum autem cura animarum requirit hominem ordinatum in sacris infra certum tempus, quia infra Pascha debet se quilibet prepare et ordinare ad digne et sancte recipiendum illud sacramentum in quo continetur sanctus sanctorum ; Leui. |30vb| 24 (20, 7) : *sanctificamini et estote sancti quia ego sanctus sum Dominus Deus uester*, et Ecc. 2^o (Eccli. 2, 20) : *qui timent Dominum preparabunt corda sua et in conspectu illius sanctificabunt* etc. Figura ad hoc Aggei 2^o (13) ubi dicitur : *si tulerit homo carnem sanctificatam in ora uestimenti sui numquid sanctificabitur* ? Corpus nostrum non est aliud quam quoddam anime uestimentum. Caro sanctificata est caro Christi in sacramento altaris. Ergo qui *tulerit carnem sanctificatam in ora uestimenti*, hoc est qui recipit corpus Christi in sacramento ore corporali, numquid sanctificabitur, numquid plus debet in mente sanctificari ? *Populo quoque dices sanctificamini cras comedetis carnes*, Num. 14 (11, 18).

[Division] Resumo que dixi ubique et concludo. Dixi primo et declaraui quod summus pontifex Deus est. Dixi secundo quod summus pontifex uult et ordinat quod nos qui hoc tempore suscepimus curam animarum ordinemur in sacramentis infra Pascha. Hoc est quod dicunt uerba proposita. *Hec est uoluntas Dei* etc. Ubi Apostolus duo facit. Nam primo indicat et palam explicat mandatum prelati. *Hec est uoluntas Dei*. Nos Deo dedicat dum procul abdicat reatum peccati, *sanctificatio nostra*, ita quod mandato prelati tenemur parere, *hec est uoluntas Dei*. Reatu peccati iubemur carere, *sanctificatio nostra*.

[I] De primo nota quod in religione nostra preter supprenum prelatum quem uocamus magistrum ordinis, cui tenemur omnes obedire in hiis que pertinent ad regulam et statuta religionis nostre, preter, inquam, illum qui est unus, tamen quelibet domus uel conuentus habet unum priorem et subpriorum eius uicarium. Regulariter |31ra| autem, hoc est uerum quod ubi leges et monitiones inferioris prelati contradicunt legibus supremi magistri uel regula quam sumus professi, non tenemur nec debemus obedire sibi sed potius superiori. Spiritualiter religio christiana quam professi sumus : *religio sancta et immaculata apud Deum et Patrem* (Jac. 1, 27), hoc est² unum supprenum prelatum et magnum, *magister uester unus est Christus* (Mt. 23, 10), cuius mandato tenemur omnes parere. Gen. 1 (50, 19) : *non Dei possumus resiccere uoluntati*. Set preter istum quot sunt domus particulares, hoc est quot partes singulares, tot sunt priores et tot subpriorum. Prior qui presidet in domo anime est uoluntas

¹ Maximus Taurinensis, *Homiliae*, 37, de jejunio Quadragesime (PL 57, 307A-308A).

² est] hoc add. P.

seu appetitus intellectiuus, subprior ei subiectus est appetitus sensitiuus. Bernardus¹ : « Voluntas est motus rationalis et sensui presidens, appetitui. Habet sane, quo se uoluerit, rationem semper commitem² et quodammodo pedissecam : non quod semper ex ratione, set quod numquam absque ratione moueat, ita ut multa fiant per ipsam contra ipsam, hoc est per eius quasi misterium, contra eius consilium siue iudicium. Est uero data ratio uoluntati ut instruat eam, non destruat. » Modo leges utriusque scilicet uoluntatis et sensualitatis frequenter repugnant legibus superioris prelati et regule religionis. Regula ista est ratio recta cui repugnant in multis leges subprioris id est sensualitatis, dicente Apostolo (Rom. 7, 23) : *uideo aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mee* etc. Et ideo in talibus non est obediendum sensualitati, quod tamen fecerunt multi |31rb| temporibus retroactis ante Quadragesimam scilicet in quorum persona dicit Apostolus, Eph. 2^o (3) : *nos omnes aliquando conuersati sumus in desiderium carnis et cogitationem et eramus natura filii ire* etc. Set ad hoc ordinatur tempus Quadragesimale ut subprior iste capituloetur et castigetur per opera penitentie. Unde Leo³ papa : « In hoc mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus, et per uoluptates eiusdem corporis preceptis dominicis contrahimus que per decalogum sunt accepta. Quia ergo per carnis desideria mandata Decalogi contempsimus, iustum est ut tandem carnem quaterdecies affligamus. » Iterum leges prioris, id est appetitus, intellectui non semper concordant set frequenter deuiant a regula recte rationis et mandati prelati superioris, et hoc fit quando prior nimis fauet subpriori, uoluntas scilicet sensualitati, et ideo non⁴ tunc obediendum est priori. Non debet homo sequi motum proprie uoluntatis set dicere cum Christo (Luc. 22, 42) : *non mea uoluntas set tua fiat*. Set leges et monitiones superioris prelati scilicet Dei numquam discordant a regula religionis, nisi Deus precipit quod non sit consonum rationi et ideo in omnibus est obediendum sibi. Propter hoc dixi quod mandato prelati tenemur parere : *hec est uoluntas Dei*. Hest. XIII (9) : *Domine rex omnipotens in dictione tua cuncta sunt posita et non est qui possit resistere a uoluntati tue*.

[III] Que autem sunt leges huius prelati cui parere tenemur, docet Apostolus, prima Thess. V (16) : *semper, gaudete, sine intermissione* |31va| *orate, in omnibus gratias agite*. Hec est enim uoluntas Dei in Christo Jhesu in omnibus nobis ; ubi apparet quod ipse leges imponit cordi, ori et manui. Vult enim quod sint assidue ora iocunda, *semper gaudete*, continue ora facunda, *sine intermissione orate*, largiflue manus habunda, *in omnibus*, numquam deficeret, semper daret. Ideo enim perpetuatur ignis in substantia⁵ propria, non autem perpetuatur in materia aliena, in palea uel stupa statim consumitur et sic ignis finitur. Spiritualiter sic est de gaudio mentali sicut de igne materiali. Propria enim materia ueri et perfecti gaudii non est res aliqua transitoria et corporalis,

¹ *Manipulus flororum*, Voluntas AB (Bernardus libro de libero arbitrio) ; Bernardus Clareuallensis, *Liber de gratia et de libero arbitrio*, II, 3 (SBO, III, p. 168).

² commitem] committere P.

³ Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri duo*, I, 16, 5 (PL 76, 1137B).

⁴ non] nec P.

⁵ substantia] spera P.

dicente Bernardo¹ : « Illud est summum et uerum gaudium quod non de creatura set de Creatore concipitur, quod cum acceperis, nemo tollet a te, cui alii comparata omnis suauitas dolor est, omnis iocunditas meror est, omne dulce amarum est, omne decor fedum est, omne postremo, quod delectari potest, molestum est. » Unde recte sic [est] de gaudio quod concipitur de re transitoria sicut de igne qui accenditur in palea uel stupa : materia cito transit et gaudium deficit. Job XX (4-5) : *hoc scio quod a principio ex quo positus est homo super terram, quod laus impii breuis sit et gaudium hypocrite ad instar puncti.* Puncta in scacario sunt permixta colore uario, quod si accipientur tria puncta collateralia, semper duo extrema sunt alterius coloris a puncto medio. Recte sic est de gaudio mundanorum sicut de ludo scatorum. Dolor enim et gaudium sic [31vb] sunt permixta in corde humano, quia secundum Sap. (Prou. 14, 13) : *risus dolore miscebitur et extrema* etc. Set punctus medius est gaudium, duo extrema sunt alterius coloris quia sunt meroris. Gaudet de re quamdiu optauit, puta de muliere uel quecumque realia, duo extrema huius gaudii luctus occupat quia omnia talia cum labore acquiruntur et cum dolore deseruntur. Iterum tota duratio hominis distinguitur tribus punctis, primus est punctus natuitatis, ultimus punctus mortis. Secundus punctus est punctualis et momentanea duratio uite presentis. Modo esto quod punctus iste medius esset totus gaudiosus quod homo, quamdiu uiuit in mundo, esset in gaudio et in letitia. Puncta extrema erunt alterius coloris quia punctus natuitatis et punctus mortis. Punctus mortis est punctus doloris, precipue quantum ad illos de quibus dicitur Job 21 (12-13) : *tenent tympanum et cytharam et gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos et in punto* etc. Bene ergo dictum est quod gaudium hypocrite ad instar puncti. Causa autem quare gaudium mundanum ita cito deficit dicta est, quia scilicet ignis in materia aliena non potest diu perpetuari, unde sicut defficiente stupa extinguitur ignis, sic cessat gaudium cordis defficiente materia gaudii. Osee 2^o (11) : *cessare faciam omne gaudium eius.* Set gaudium uerum quod de Creatore concipitur, perpetuatur sicut ignis in sphera propria, figura Leui. X (6, 12) ubi dicitur : *ignis in [32ra] altari meo semper ardebit.* Et iterum ignis ille est perpetuus qui numquam defficit in altari. Altare illud erat in altari² sacrificiorum in quo erat thurribulum, in quo thuribulo ignis ardebat perpetuo. Spiritualiter altare sacrificiorum est cor uoluntarium et deuotum quia nullum sacrificium Deo acceptum [est], nisi offeratur in altari cordis, nisi sit uoluntarium. Unde Gregorius³ : « Offerte Deo decimas bona uoluntate. » In thuribulo huius altaris debet ignis perpetuari quia in tribulationibus et aduersitatibus quas patimur propter Christum debet crescere spirituale gaudium. Unde Jac. (1, 2) : *omne gaudium existimate fratres mei cum in temptationes uarias incideritis.* Exemplo apostolorum (Act. 5, 41) qui ibant a conspectu concilii quoniam digni etc. Set legimus Leuit. 4 (10, 1-2) quod filii Aaron posuerunt ignem alienum in thurribulis et egressus ignis a Domino deuorauit eos. Illi ponunt

¹ *Manipulus florū*, Gaudium N (Bernardus in quodam sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 114, 1 (SBO, VII, p. 292).

² altari] altare *P.*

³ Cf. *Manipulus florū*, Voluntas U (Gregorius hom. 5 super euangelium) : *Nihil offertur Deo ditius bona uoluntate.*

in thurribulis ignem alienum, qui gaudent de tribulatione et malo aliorum. Seneca¹ : « Malum alienum tuum ne feceris gaudium. » Illi timere debent ne egressus ignis a Domino deuoret eos, ille, inquam, ignis de quo (Deut. 32, 22) : *ignis successus est in furore meo* etc. Set illi ponunt ignem proprium in thurribulis qui gaudent in tribulationibus propriis, secunda ad Cor. 4 (8, 12) : *in multo experimento tribulationis habundantia rectus fuit*. Ecce quomodo terminatur ignis in altari sacrificiorum quod est cor contritum et humiliatum, Ps. (50, 19) : *sacrificium spiritus contribulatus* etc. Patet ergo ex dictis quod ignis non |32rb| perpetuatur nisi in sphaera propria. Qui uult perpetuum gaudium habere, debet non de creatura set de Deo gaudere. Illis qui gaudent non in Domino, non dicitur (Phil. 4, 4) : *iterum dico gaudete*, quia sic gaudent in presenti, quia non gaudebunt, ymmo lugebunt in futuro. *Ve uobis qui nunc gaudetis uel ridetis quia plorabitis et flebitis* (Luc. 6, 25). Dicent illi finaliter illud Tren. 9 (Lam. 5, 15) : *defecit gaudium cordis nostri uersus est in luctum chorus noster*. Set illis qui gaudent in Domino dicitur : *iterum dico gaudete*, quia gaudent modo in spe et tandem in re. *Quando uenient in Syon cum laude et leticia sempiterna super capita eorum*, Ysa. 39 (35, 10). Quam leticiam nobis concedat Jhesus etc.

¹ *Manipulus florū*, Gaudium S (Seneca in prouerbīis).

SERMON 14

Deuxième dimanche de Carême.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 32rb-37va ; Uppsala, Univ. Bibl., C 276, f. 131r ; Toulouse, Bibl. mun. 338, f. 128va-136rb.

Plan :

Thème – La justice et la miséricorde divines. Comparaison entre Dieu et un archer.

Division – Les effets de la peur de des flèches.

I – Le nom et la chose désignée doivent être conformes, comme dans le cas du nom « chrétien ».

Division 2 (sur Luc. 8, 28) – Le nom de Jésus :

- a. substantif (pureté), selon 2 conditions : mourir au nom de Jésus ; Jésus est exempt du péché originel.
- b. collectif (amour)
- c. vocatif (miséricorde), pour 2 raisons : faire appel à Dieu en cas de nécessité ; Jésus sauve l'homme du péché.
- d. superlatif (supériorité)

F. 32rb : *Jhesu fili Dauid miserere mei*, Luc. 19 (18, 38).

[Thème] Nullus sane mentis uidet sagittarium uerum et uiuum tenentem arcum sibi oppositum, iacentem contra eum sagittas quin sibi timeat et quanto potest a facie arcus fugiat et diuertat. Ratio est quia sagitta neminem percutit nisi illum quem facies arcus directe respicit, et ideo summum remedium est timenti ictum sagitte fugere a facie¹ arcus et conuertere se ad cordam. Verum est quod qui uidet sagittarium cum sagitta et arcu in pariete depictum, talis nec timet nec fugit propter hoc a facie arcus, quia bene scit quod sagittarius non est uerus set depictus solum. Hoc ideo dixi quia pictura nostra Sacra Scriptura depingit et describit nobis Dei filium sicut sagittarium uiuum iacentem sagittas et [32va] tendentem arcum. Ps. (7, 13-14) : *nisi conuersi fueritis arcum suum tetendit*, usque ibi : *sagittas suas*. Ratio autem quare Dei filius describitur ut sagittarius est ista quia recte que est differentia inter sagittarium et illum qui cum gladio uel uirga aliquem percutit, talis est inter Deum et terrenum iudicem. Hec est enim differentia inter sagittarium et illum qui cum gladio uel uirga percutit quia sagittarius ut sagittarius numquam iacit sagittam quin teneat in manibus arcum et cordam. Bene potest aliquis cum sola sagitta sine corda et arcu percutere alium utendo sagitta sicut gladio uel uerga, set sagittarius numquam sagitat nisi cum corda et arcu sagittam iaciatur. Spiritualiter secundum ethymologiam nominis misericordia dicitur miserorum corda. Arcus autem qui flectitur mediante corda est iustitia cuius rigor debet flecti per dulcorem misericordie. Abacuc (3, 2) : *cum iratus fueris,*

¹ facie] facere P.

misericordie recordaberis. Sicut enim arcus non est complete arcus sine corda, sic iustitia sine misericordia non est completa iustitia. Crisostomus¹ : « Justitia sine misericordia non est iustitia set crudelitas, sic misericordia sine iustitia non est misericordia set fatuitas. » Unde sicut lignum et corda copulantur inuicem ut faciant arcum unum, sicut dicit Ps. (84, 11) : *quia misericordia et ueritas obuiauerunt sibi iustitia et pax* etc., si iustitia est arcus cuius corda est misericordia, patet statim quod sagittarius proprie dictus qui numquam percutit aliquem nisi teneat etiam² cordam est Dei filius qui neminem percutit nisi arcum, id est [32vb] equitatem iustitie, *justus es Domine et rectum iudicium tuum* etc. in Ps. (118, 137), nec cum ita tenet arcum rigidum quin semper rigor iustitie sue flectatur per cordam misericordie. Ps. (100, 1) : *misericordiam et iudicium cantabo tibi Domine*. Proprium est enim sibi misereri semper et parcere, non est sic de iudicibus. Ipsi enim frequenter utuntur sagitta iudicii sine corda et arcu ; sine corda quidem quia non possunt flecti ad misericordiam, sine arcu quia tenent iustitiam, set iniuste puniunt innocentem. Tales non sunt proprie sagittarii quia utuntur sagitta iudicii sine arcu et corda per modum gladii. Ps. (63, 4-5) : acciunt *ut gladium linguas suas*. Sequitur : *ut sagittent in occultis immaculatum*. In hoc figuratur optime filius Dei per filium Dauid Salomonem propter duplarem illius nominis interpretationem. Salomon interpretatur³ uno modo pacificans merentes, hoc pertinet ad cordam misericordie, alio modo retribuens inquis, hoc pertinet ad arcum iustitie. Quod filius Dei habeat hec duo in se patet ex dicto, Ps. (61, 12-13) : *semel locutus est Deus duo hoc audiui quia potestas Dei est et tibi Domine misericordia quia tu reddes unicuique iuxta opera sua*. Habemus ergo quod sagittarius proprie dictus est Dei filius per filium Dauid figuratus. Sagittarium istum quidam uident non solum in pictura : alii uident eum unum et uerum sagittarium, iacentem contra se sagittas. Sagittarius iacit tunc sagittas contra aliquem quando Deus infilit homini plagas uel penas aliquas propter culpam. Ps. (63, 8) : *sagitte* [33ra] *paruulorum facte sunt plage eorum*. Unde ille uidet sagittarium uerum et uiuum, iacentem contra se sagittas, qui ueraciter et realiter experitur plegas sibi a Deo inflictas. Job (6, 4) : *sagitte Domini me sunt quarum indignatio ebibit spiritum meum et terrores Domini militant contra me*. Set illi uident sagittarium solum in pictura qui semper prospere habent, raro uel numquam sentiunt sagittas Dei nisi quantum audiunt ex Scriptura Sacra. Scriptura a talibus reputatur solum pictura. Probatio : qui crederet sagittarium quem uideret depictum esse uerum et uiuum, numquam esset ita fatuus quod poneret se contra faciem arcus et quando si uideret faciem arcus oppositam, statim fugeret et conuerteret se ad cordam. Tu uides in Scriptura quod sagittarius arcum tetendit et quod sagittis ardentibus effecit cor, uidens bene quomodo Scriptura describit grauissimas penas inferni. Ille sunt *sagitte potentis acute cum carbonibus desolatoriis*, Ps. (119, 4). Si tu crederes ita esse in re et in ueritate sicut Scriptura dicit, tu numquam esses ita fatuus quod opponeres te contra faciem arcus. Facies arcus est iustitia. Peccatum autem

¹ *Manipulus florū*, Misericordia AD (Crisostomus super Mattheum).

² etiam] et P.

³ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 138.

opponitur iustitie. Ergo tu numquam essem ausus peccare, uel si contingenter te peccare et crederes faciem arcus tibi oppositam, statim peccatum fugeres et conuerteres te ad petendum misericordiam, dicens cum Psalmo (50, 3) : *miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam* etc. *Auerte faciem tuam a peccatis meis* (Ps. 50, 11). Quia ergo tu non times peccare, non times contra faciem [33rb] arcus te opponere. Signum est manifestum quod non credis ita esse in te, set credis Sacram Scripturam solum esse picturam et uere uidetur mihi. Si sunt homines mundi qui non uideant sagittas Dei nisi in pictura, illi sunt clerici. Omnis enim alias status hominum sentit aliquam sagittam Dei sibi infixam, habet aliquam penalitatem sibi annexam. *Sagitte tue infixe sunt mihi*, Ps. (37, 3). Set de clericis dicit beatus Bernardus super illo uerbo¹ Ps. (72, 5) : *in labore hominum non sunt* etc. : « Cum, inquit, status hominum aliquid laboris habeant et aliquid uoluntatis. Inter hoc clerici nouo quodam artificio discernentes totum quod delectat, in quolibet elegerunt, et totum quod molestat respuerunt a militibus acceperunt superbie fastum, amplam equorum faleras, nobiles apparatus. Accipitres, aleas et similia que frequentant, a militibus dependentes a collo pelles rubricatas nimium ornatos thalamum, mollitem balneum, gloriam uestium, a rusticis fructus agrorum horrea plena set bene cauent militaris lorice pondus et in castris in sompnos noctes incertaque discrimina preliorum muliebrem declinant uerecundiam et disciplinam aut sequi sexus uel laboris habere creditur, omnes rustici et agricole uictum sibi cum labore acquirunt. Hii deliciis affluunt otio et tamen adueniente fructuum tempore in noua sibi horrea implet promptuaria eorum plena tritico et uinum bibunt uue [33va] meracissimum et inde incrassantur, inpinguantur, dilatantur. » Subdit quibusdam interpositis : « Restat ut sint in laboribus demonum qui in laboribus non fuerunt hominum. » Unde illud testatur bene ista consequentia. Ecce quanto sagittarius diutius exspectat iacere sagittam flectendo semper arcum et trahendo plus et plus cordam suam, tanto postea dat ictum grauiorem. Quando uero statim sagittat, leuiores ictum dat. Sic Deus quosdam sagittat in presenti uita puniendo eos pena leuiori, pena temporali, alios diu exspectat ad misericordiam ut sagittet eos in futuro pena incomparabiliter grauiori. Gregorius² : « Dum intueor Job sedentem in sterquilino, Johannem esurientem in heremo, Petrum suspensum in patibulo, hinc considero quantum Deus punit quos reprobavit qui sic in presenti flagellat quos amat. » Sic secundum ueritatem signum amicitie est quando Deus flagellat aliquem in hac uita. Ipse enim ad istum finem hoc facit ut homo timeat et fugiat a facie arcus et conuertat se ad cordam misericordie sue.

[Division] Ps. (59, 3. 5) : *Deus repulisti nos et detruxisti nos iratus es et misertus es nobis ostendisti populo tuo dura*, quasi dicat : iecisti contra nos sagittas et ostendisti faciem arcus tui. Ad quid dedisti metuentibus te significationem ut fugiant a facie arcus (Ps. 59, 6), sicut fecit cecus iste de quo euangelium loquitur ? Quia enim ipse sagittam Dei contra se senserat que utroque oculo eum

¹ *Manipulus florū*, Clericus H (Bernardus super illud Psalmi : *in labore hominum non sunt, ideo non flagellabuntur*).

² *Manipulus florū*, Tribulatio AC (Gregorius in quadam homelia).

priuauerat, ideo statim a facie arcus [se] diuertit ac ad cordam misericordie se conuertit dicens |33vb| : *Jhesu fili Dauid miserere mei.* In quibus uerbis cecus iste uidetur dicere Christo tria : Domine, peto a te primo quod tu rem conformes proprio nomini, secundo ne prolem deformes regio sanguini, tertio quod pacem reformes a uitio homini quia Jhesum¹ uocare, salutare debes, non perdere. Filius *Dauid* es qui *in sua misericordia* miser uidetur, *consecutus est sedem regni in secula* (Macc. 2, 57).

[I] De primo notandum quod [sunt qui habent] quid nominis et quid rei, sunt qui habent solum quid nominis, non quid rei. Sunt sicut chymere et figmenta quibus nichil respondet in re ei quod figuratur in uoce. Modo uideamus si sunt aliique chymere, aliqua figmenta in ecclesia Dei, certe qui habent quid nominis et non quid rei. Quicumque habent nomen sanctitatis et officii uel dignitatis et non habent rem conformem nomini : chymere sunt, in ecclesia Dei sunt multi tales chymere, Deus bene scit : *ipse cognovit figmentum nostrum*, Ps. (102, 14). Tu qui habes nomen Christiani, uideas si tu habes rem conformem nomini ; alioquin figmentum es, habens quid nominis et non quid rei. Quid enim prodest tibi uocari quod non es et nomen usurpare alienum ? Set si christianum te esse dilectas, que christianitatis sunt gere et merito tibi nomen christiani assume. Tu qui habes nomen scolaris, nomen sacerdotis, nomen religiosi, uideas si conformes rem nomini ; alioquin chymera es, habens quid nominis, non quid rei. Ambrosius² : « Quod sumus professi actione potius quam nomine demonstremus ut nomen congruat nomini et |34ra| actio respondeat nomini. Ne sit honor sublimis et uita proclius, ne sit deifica professio et illicita actio, ne sit religiosus amictus et inreligiosus profectus, ne sit gradus excelsus et defectus excessus, ne faciem similemus columbinam et mentem habeamus caninam, ne professionem monstremus agninam et ferocitatem habeamus lupinam. » Ista sunt proprie chymere. Chymera est quoddam figmentum compositum ex diuersis partibus diuersorum animalium ita quod habet faciem ouinam et caudam lupinam, dentes caninos, pedes equinos et sic de partibus diuersorum animalium conficitur unum figmentum ; et in ueritate si sunt homines in mundo recte chymerati, illi sunt clerici. A quolibet statu hominum aliquid habent et tamen nullum statum tenent. Bernardus³ : « Miror cuius ordinis sunt clerici nostri, aliud esse aliud uideri uolunt, in congregacione temporalium se habent ut layci, in apparatu nobili ut milites, in acquisitione reddituum ut clerici et tamen non laborant ut layci nec pugnant ut milites nec euangelizant ut clerici et cum utriusque ordinis esse cupiunt utrumque deserunt, utrumque confundunt. » Ecce bene chymericum. Figuratur optime status iste chymericus per illam statuam chymericam quam uidit Nabugodonosor, que habebat *caput ex auro, pectus et bracchia de argento, porro uenter et femora ex ere, tibiae autem ferree, pedum una pars erat ferrea quedam fictilis* (Dan. 2, 32-33). Statua que speciem animalis habet et uita animali caret est status |34rb| ille qui nomen sanctitatis habet et uita sancta uel re sanctitatis caret. Unde Apoc. (3, 1) : *nomen habes quod uiuas et mortuus es*. Hoc est dictum : habes quid

¹ Jhesum] Jhesus P.

² *Manipulus flororum*, Prelatio H (Ambrosius in suo pastorali).

³ *Manipulus flororum*, Clericus G (Bernardus libro 3 de consideratione ad Eugenium) ; Bernardus Clareuallensis, *De consideratione*, III, 20 (SBO, III, p. 447).

nominis et non quid rei. Ad propositum Jhesus interpretatur Saluator¹. *Non est aliud nomen sub celo datum hominibus in quo oportet saluos fieri*, Act. 4 (12). Plures autem uocati sunt nomine Jhesu qui habuerunt quid nominis, set filius Dei utrumque habuit quid nominis et quid rei. Unde Mt. (1, 21) : *uocabis nomen eius Jhesum ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum*. Scito ergo quid nominis de eo debemus inquirere et inuestigare, quid rei debemus ab eo querere, quid conformet rem proprio nomini impendendo nobis salutis officium, ut dicamus : *Jhesu preceptor miserere nostri* (Luc. 17, 13). Sicut fecit cecus iste, statim cognito quid nominis, audito quod Jhesus Nazarenus transiret, clamare cepit : *Jhesu fili Dauid miserere mei*. Peto quod tu rem conformes proprio nomini illud quid rei, precognito quid nominis ignorabat et inuestigabat demoniacus ille qui dicit Mt. V et Luc. 4 (8, 28) : *mihi et tibi Jhesu fili Dei altissimi*.

[Division 2] Ubi demoniacus ille describit nomen Jhesu in quatuor ; dicit enim quod est nomen materie substantium, *quid*, collectuum, *mihi et tibi*, uocatum, *Jhesu*, superlatuum, *fili Dei altissimi*. Est, inquam, materie substantium ratione munditie purioris, collectuum concordie et amoris, uocatum id est prouocatum misericordie largioris, superlatuum eminentie celsioris.

[a] Circa primum notandum quod secundum |34va| grammaticos hec nomina quod, quid, cuius et talia secundum ueritatem sunt nomina set habent conditionem pronominis quia declinantur ut pronomina. Hoc premisso² patet tertium quod solum nomen Jhesu est uere quid : *tu quid es*, quia solum ipsum habet conditionem pronominis. Conditiones pronominis quantum ad nunc sunt due. Primo pronomen dicitur quia ponitur pro nomine. Secundo in hoc pronomen differt a nomine quia pronomen demonstratum, precipue prime uel secunde persone, significat meram substantiam ; nomen autem significat substantiam cum qualitate propria uel communi.

Primam conditionem habet solum nomen Jhesu quia pro nomine Jhesu quilibet debet se et sua ponere et debet se morti exponere, exemplo Apostoli, Act. 21 (13) : *ego, inquit, non solum alligari set et mori paratus sum pro nomine Domini Jhesu*. Gregorius³ : « Truncata sunt in comparatione Jhesu ea que patimur. » Ipse enim opprobria, irrisiones, alapas, sputa ceteraque multa sustinuit ; nos miseri uno sermone frangimur⁴, uno modico deicimur. Non sic apostoli : *ymmo ibant gaudentes a conspectu concilii quoniam digni habitu sunt pro nomine Jhesu contumeliam parati* (Act. 5, 41). Set heu hodie multi uolentes sibi facere nomen de nomine suo faciunt pronomen. Videbitis milites et multos homines qui raro uel numquam pro nomine Jhesu uellent aliquid pati set, ut faciant sibi nomen, exponunt se passim periculo mortis. Ista est magna fatuitas quod homo tot grauamina sustineat et tot periculis se exponat solum ut nomen habeat. Ecc. 24 (Eccli. 22, 17) : *super plumbum quid grauabitur* |34vb| *et quod illud nomen quam fatuus*. Super Mt. Crisostomus⁵ : « O insipiens quid tibi prodest post

¹ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

² premisso] preuisso P.

³ Non inueni.

⁴ frangimur] frangamur P.

⁵ *Manipulus florum*, Gloria mala siue uana X (Crisostomus super Matthaeum).

mortem ista memoria, si ubi es torqueris, et ubi non es laudaris ? » Videbitis ex alia parte diuites multos qui pro nomine Jhesu uellent dare pauperibus duos obolos et non uerentur ponere et exponere omnia que habent solum ut nomen habeant. Unde est magna uanitas. Reliquit *alienis diuitias suas* (Ps. 48, 11). Sequitur (Ps. 48, 12) : *uocauerunt nomina sua in terris*. Bene dicit *in terris* quia nomina talium non sunt scripta in celis. Videbitis iterum subtiles clericos et ingeniosos qui totum tempus suum ponunt in studio quorumdam subtilium et inutilium ad salutem¹ ut nomen habeant, ut sint famati et nominati ; figurantur tales per filios Noe, de quibus dicitur in Gen. (11, 1) quod *terra erat labii unius et sermonum eorumdem*, tunc dixerunt ipsi (Gen. 11, 4) : *uenite, edificemus nobis ciuitatem et turrim cuius culmen attingat ad celum et celebremus nomen nostrum*. Quid factum est in edificio illius turris ? *Confusum est labium uniuersae terre* (Gen. 11, 9). Noe interpretatur requiescens². Filii ergo Noe sunt uiri studiosi uacantes otio et quieti ibi, nolentes celebrare nomen suum, uolunt edificare turrim cuius culmen attingat ad celum. Quilibet uult ita alte loqui et subtiliter quod nullus attingat ad eum set in Ps. (72, 9) dicitur : *posuerunt in celum os suum et lingua eorum transiuit in terra*. Ex hoc sequitur confusio labiorum. Unde uenit ista con35rafusio labiorum, ista confusio opinionum ? Iste uarius modus loquendi doctorum certe uenit ex hoc quod ubi unus dicit illud³ quod alias dicit, tamen, ut faciat sibi nomen, inuenit alia uerba et non uult uti uerbis alterius. Et ideo bene dicitur in figura quod terra primo erat labii unius et sermonum eorumdem quia frequenter ubi est idem re quod uti et alii dicunt, adhuc diuersitas est in uoce et confusio labiorum. Non sic faciunt sancti uiri, ymmo de solo nomine Jhesu faciunt pronomen dicentes : *non nobis Domine, non nobis set nomini tuo da gloriam* (Ps. 113, 9). Sic patet quod solum Jhesu habet uere primam conditionem pronominis et ideo est uere quod uel quid pronomen. *Quod nomen eius et quod nomen filii eius si nosti* (Prou. 30, 4).

Adhuc nomen Jhesu habet secundam conditionem pronominis in hoc quod significat meram substantiam et non habens morbidum. Alia significant substantiam cum qualitate propria uel communi. Ubi sciendum quod culpa originalis que communis est toti humano generi et que a primo parente descendit in omnem posteritatem, doctores quidam theologi uocauerunt morbidam qualitatem. Nec mirum quia a qualitate dicitur quale et tale. Apostolus autem dicit (I Cor. 15, 48) : *qualis terrenus, tales et terreni*, quasi dicat : omnes sunt illa morbida qualitate infecti. Dicamus ergo cum eis quod qualitas communis est culpa originalis, qualitas propria actualis culpa. De hac qualitate propria loquens Anselmus⁴ dicit : « Heu me qualem me fecisti ! In peccatis eram conceptus et natus, set absoluisti me Domine et ego peioribus sordidaui me. Reformasti 35rb in me ymaginem tuam, et ego superinduxi odibilem ymaginem, heu, heu ! O tu cur non odi eius ymitationem, cuius sic horreo nomen ! » Modo excepto solo Jhesu numquam fuit homo aliquis qui habuit meram substantiam sine qualitate aliqua propria uel communi, sine culpa actuali uel originali. Unde Ps. (88, 48) : *memorare*

¹ salutem] ad quid add. P.

² Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 157.

³ illud] re add. P.

⁴ Anselmus Cantuariensis, *Meditationes et orationes*, oratio 8 (F.S. Schmitt, 1946, p. 26).

que mea uerba, et sequitur (88, 49) : *quis est homo qui uiuet et non uidebit mortem*, quasi dicat : quis est homo habens meram substantiam et non habens morbidam qualitatem, quasi dicat : nullus. Prou. ult. (20, 9) : *quis potest dicere mundum est cor meum et purus sum a peccato*. Vere nullus nisi solus Jhesus qui utramque substantiam, et illam quam habet a patre et illam quam traxit a matre, habet sine omni qualitate propria uel communi in quo habet conditionem pronominis et ideo est uere tale quid, id est materie substantium commune munditie purioris, ut ipse possit dicere illud Ps. (72, 25) : *quid mihi est in celo*, quantum ad naturam diuinam que caret omni qualitate, omni actualitate. *Et a te quid uolui super terram* (Ps. 72, 25), quantum ad naturam humanam quam habet a matre, que etiam caret omni qualitate morbida originalis et actualis culpe, hoc de primo.

[b] Circa secundum notandum quod omnis res que non potest simul tota esse duorum quin oporteat portionem eius diminui, si alius habeat partem, ibi omnis, inquam, talis res est materia discordie et dissensionis inter eos. Propter hoc duo canes in rodendo unum os proiectum in aula numquam sunt concordes. Ista fuit causa discordie inter illas duas mulieres que pro infante uiuo [35va] contendebant coram Salomone ; quia enim infans uiuus non poterat esse utriusque totus, ideo petebat illa que mater eius non erat : *nec mihi nec tibi sit diuidatur* (III Reg. 3, 26). Per oppositum ergo res que potest esse communis duobus, neque oportet portionem eius diminui si alius habet partem, illud est inter eos causa discordie et amoris. Spiritualiter ossa projecta in aula, propter que canes adinuicem sunt discordes, sunt diuitie et honores precipue et dignitates ecclesiastice. Ratio est quia quando os nullum est in aula uel quando ossa sunt totaliter arida, omni honore uacula, omni carne nudata, tunc sunt canes in pace sine omni rixa, set quando in aula proiciuntur ossa pinguia et carnosa, tunc commune ossium inter canes est pugna. Sic in primitiu ecclesia, antequam Constantinus proiceret ossa in aula, quando Petrus dicebat : *argentum et aurum non est mihi* (Act. 3, 6), non erat dissensio in ecclesia nec aliqua rixa, ymmo *in multitudine credentium erat cor unum et anima una* (Act. 4, 32). Ratio est quia tunc erat uere dicere : *spiritus carnem et ossa non habet* (Luc. 24, 39). Tunc erant uiri spirituales carnalia et corporalia non curantes. Adhuc hodie pro osse arido et pro misero beneficio non est dissensio. Communiter diceretur : lis est de paupere regno, set pro osse pingui et carnoso, pro uno grosso beneficio, est communiter discordia et dissensio. Et frequenter contingit quod duo canes diu rixantur in curia pro tali beneficio : ille qui scit se non habere ius ad hoc solum nititur ut alter qui ius habet totaliter excludatur, similis meretrici que ius in [35vb] puero non habebat. Ideo dicebat : *nec mihi nec tibi sit set diuidatur* (III Reg. 3, 26). Puto quod dyabolus seminator discordie, ut poneret discordiam in ecclesia, procurauit illa ossa in aula proici. Unde merito audita est uox Dauid : *hodie effusum est uenenum in ecclesia Dei*, et nota quod beneficia ecclesiastica optime dicuntur esse ossa. Ossa enim sunt sustamenta carnium. Sic de beneficiis ecclesiasticis, de quibus deberent pauperes sustentari, sustentantur carnales amici. Ps. (101, 6) : *adhesit os meum carni mee*. Ad litteram : illi qui

prebendas et beneficia conferunt dant parentibus¹, non pauperibus tamen melioribus. Jeronimus² : « Clericos illos contingit ecclesie beneficiis sustentari, quibus parentum et propinquorum nulli suffragantur. Qui autem bonis parentum et opibus sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium incurunt. » Idem dicit Jeronimus³ alibi : « Qui de bonis suis sustentari potest, si accipit quod pauperum est, sacrilegium profecto committit, atque per abusionem talium iudicium sibi manducat et babit. Eges et accipis, das potius quam accipis. » Quod dixi de diuitiis, idem est de honoribus. Si enim impendatur duobus et maior uel equalis fiat uni sicut alteri, reputat honorem suum in hoc diminui. Et ideo inter eos oritur dissensio et lis ista fuit causa dissensionis inter Saul et Dauid quia Saul audiuit dicentes in choro : *Saul percussit mille et Dauid X milia* (I Reg. 18, 7). Statim indignans ait (18, 8) : *michi dederunt* |36ra| *mille* et filio Persarum X milia. Propter hoc Paulus non querebat gloriam set contemptum mundi. *Michi*, inquit, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jhesu* etc. usque : *et ego mundo et merito* (Gal. 6, 14). Jhesus enim est talis conditionis quod potest haberi a duobus simul et a quolibet totus, et ideo nomen Jhesus non est diuisium discordie et dissensionis, set collectuum concordie et amoris. Diuersus est Christus, *absit*, non est Deus dissensionis set pacis. Ideo dicitur quod est communis, *mihi et tibi*. Verum est quod quando filius Dei uel uerbum erat solum apud Deum quasi in sinu patris secretum, iuxta illud (Is. 24, 16) : *secretum meum mihi secretum meum mihi*, tunc erat discordia inter Deum et hominem quia nichil erat commune amborum. *Nichil tibi et iusto illi erat* (Matth. 27, 19). Nichil erat commune Deo et homini, set quando filius Dei factus homo, quando dictum est Marie : *quid mihi et tibi mulier* (Jo. 2, 4), quid, id est aliquid, est commune michi et tibi, quia idem filius Dei et hominis, tunc facta est *pax hominibus bone uoluntatis* (Luc. 2, 14). Modo ludus esset ualde male partitus inter me et te : si omnia mea essent communia tibi, tua autem essent propria tibi soli. Deus omnia sua opera et proprium filium suum fecit communia sibi et tibi qui proprio *filio suo non pepercit set pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis dedit* (Rom. 8, 32). Ergo ludus est male partitus inter te et Deum si retines tibi aliquid proprium. Unde Augustinus⁴ : « Dicit tibi Christus : da mihi ex eo quod tibi dedi. De meo quero : da et |36rb| redde. Habuisti me largitorem, fac me debitorem : habeam te feneratorem. Temporalia mihi das, eterna tibi restituam. Te ipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero. » Sunt aliqui qui nolunt dare sua Christo pauperi quia timent porcionem bonorum suorum sibi diminui si Deus habeat partem ibi. Attendant illi ad illam pauperculam uiduam de Sarepta que, cum nihil⁵

¹ parentibus] pauperibus *P.*

² *Manipulus florum*, Clericus D (Hieronymus in epistula ad Damasum papam) ; *Decretum Gratiani*, II, causa 1, quaest. 2, c. 6, (E. Friedberg, 1879, p. 409).

³ *Manipulus florum*, Clericus E (Hieronymus in alia epistula) ; *Decretum Gratiani*, II, causa 1, quaest. 2, c. 6 (E. Friedberg, 1879, p. 409).

⁴ *Manipulus florum*, Elemosina H (Augustinus de uerbis Domini sermone 25) ; Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 123, 5 (PL 38, 686).

⁵ nihil] non *P.*

haberet nisi paululum farine in uase et modicum olei in lethico, dixit ei¹ Helyas : *fac mihi inde primum subcinericum panem paruulum tibi et filio tuo facies postea* (III Reg. 17, 13). Quod cum fecisset, *ydria farine non defecit nec lethicus olei est minuetur* etc. (III Reg. 17, 14). Spiritualiter oleum diuine misericordie non deficit illi qui bona sua communicat Christo pauperi. Quod *uni ex minimis meis fratribus mihi fecistis* (Mt. 25, 40). Unde Leo papa² : « Non timeamus inter opera misericordie terrenarum diminutionem facultatum, quia numquam miserendi efficacia deserit, in quo misericordia illa non deficit. » Iterum ludus adhuc est male partitus quando rex celorum sibi filium proprium et unicum dedit tibi et tu, uilissime rustice, habes tres uel quatuor filios nec uis unum dare Deo in religione. Deus pater dedit tibi filium suum speciosissimum forma pre filiis hominum et tu, miser, negas filium tuum scabiosum. Adhuc est maior abusio hodie quia non solum pater et mater retrahunt puerum ab ingressu religionis, ymmo etiam extranei qui nichil attinent sibi, |36va| similes illi meretrici que nichil habebat in puer et dicebat (III Reg. 3, 26) : *nec michi nec tibi set diuidatur*. Plus uolunt isti quod puer diuidatur, sic quod dyabolus habeat animam et corpus remaneat in mundo, quam totus puer dedicaretur Deo. Dicit Bernardus³ : « Si quid religionis in corde nascitur, quicumque resistit, quicumque repugnat, plane cum Egyptiis paruulos Israel necare conatur, ymmo cum Herode nascentem prosequitur Saluatorem. » Ergo si uis facere ludum bene partitum inter te et Deum, da ei⁴ non solum tua set te ipsum ut ipse possit ueraciter dicere tibi : *fili tu semper tecum es et omnia mea tua sunt* (Luc. 15, 31) et tua mea sunt et tu dicere possis : *ego dilecto meo et dilectus meus mihi* (Can. 6, 2) et ego illi. Ecce nomen collectuum concordie et amoris.

[c] Circa tertium nota quod nomen Jhesu in uocatio ponitur propter duo, primo quia homo in casu necessario Jhesum inuocat, secundo quia Jhesus a casu peccati hominem reuocat.

De primo dicit Ps. (114, 3-4) : *tribulationem et dolorem inueni et nomen Domini inuocauit*. Significanter premittit *tribulationem et dolorem* quia antequam peccator inuocet nomen Jhesu, si debeat misericordiam consequi, debet precedere dolor contritionis. Ratio est : qui uocaret nomen pueri antequam in utero puer conceptus esset, nomen quidem uocatum esset, set non esset aliquid quod tali nomini responderet. De puer Christo dicitur quod *uocatum est nomen eius Jhesus quod uocatum est antequam in utero conciperetur* (Luc. 2, 21), set Jhesus interpretatur Saluator⁵. Ille concipit puerum Jhesum qui concipit in corde salubre propositum |36vb| cauendi scilicet sibi a peccatis. Nomen quidem uocatum est. Set res non respondet nomini quia qui sic inuocat non recipit effectum salutis ; *peccatores enim Deus non audit* (Jo. 9, 31). Unde talis uocatio magis prouocat ad iram quam ad

¹ ei] sibi P.

² Leo Magnus, *Tractatus septem et nonaginta*, 42 (A. Chavasse, SL 138A, 1973, p. 241).

³ *Manipulus florum*, Religio AG (Bernardus in quodam sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones in Epiphania Domini*, 3, 3 (SBO, IV, p. 306).

⁴ ei] sibi P.

⁵ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 76.

misericordiam. Unde Gregorius¹ in Pastorali : « Talis requirendus est ad orandum, qui sit ydoneus ad placandum, quia cum hiis qui displicet ad intercedendum mittitur, irati etc. » Et ideo prius debet concipi puer Jhesus quam uocari. Luc. primo (31) : *concipies et paries filium et uocabis nomen eius Jhesum*. Dicit : *concipies et paries*, quia non sufficit concipere bonum propositum nisi homo pariat per effectum. Mirabilis est excusatio multorum qui non pariunt bonum propositum quod conceperunt set faciunt abortiuum. Principalis causa quare mulier procurat abortiuum est uerecundia hominum. Si ita ueniret ad noticiam hominum quotienscumque parit abortiuum sicut quando parit fetum uiuum, ipsa incomparabiliter libenter pareret fetum uiuum quam abortiuum. Multi concipiunt bonum propositum et tamen non pariunt, dicunt quod dimittunt propter uerecundiam hominum et tamen non uerecundantur parere abortiuum, non uerecundantur peccare et pessime agere. Quamuis deueniat ad noticiam hominum, non uerecundantur puplice peccare et uerecundantur puplice penitere. Dicit ergo : *concipies et paries filium et uocabis nomen eius Jhesum* (Luc. 1, 31). Nomen Jhesu sic uocatum est per uocatuum prouocatuum misericordie largioris. Ysa. (59, 2) : *tunc uocabis et Dominus exaudiet, |37ra| clamabis et dicet ecce assum ; quia misericors sum Dominus Deus tuus* (Deut. 4, 31).

Secundo Jhesus hominem reuocat a casu peccati. Prima ad Cor. primo (26) : *uidete uocationem nostram fratres ad quem statum uocati estis. Parum autem fidelis Deus per quem uocati estis in societate filii eius Jhesu Christi Domini nostri* (I Cor. 1, 9). Set heu ipse dicit (Prou. 1, 24) : *uocaui et renuistis*. Nota : dicit glosa super illo uerbo Jo. (Ps. 57, 6) : *exaudiet uocem incantantium incantantis sapienter*, id est Christi et apostolorum. Aspis² quidem serpens aurem unam terre affigit et aliam cauda obstruit ut non audiat uocem incantantis. Sic spiritualiter si uox Christi incantantis aurem cordis nostri id est presenti delectationi affixam, *si uis perfectus esse, uade et uende* etc. (Matth. 19, 21). Statim abiecit se tristitia seculi. Nam de illo iuuene cui uerba ista dicta sunt, dicitur in Luca (Matth. 19, 22) quod *abiit tristis*. Si autem aurem cauda, id est caterua parentum, obstructam percussiat uox Christi incantantis, [Matth.] 2 d (19, 29) : *qui relinquerit patrem aut matrem* etc., statim obiecit se fauor mundi. Allegat enim illud (Matth. 8, 21) : *dimitte me primum sepelire patrem meum*. Amoureas ab aure cordis hoc duplex obstaculum, amorem terrenorum, amorem parentum carnalium, et uox Christi uocantis te ad statum religionis uel penitentie dulciter sonabit in auribus tuis, Can. (2, 14) : *sonet uox tua in auribus uox enim tua dulcis* etc. Bernardus³ super Cant. (2, 14) : « Gemina dulcedo in pectore Domini Jhesu, longanimitas in ex|37rb|spectando, facilitas in donando. Nomen Jhesu quam carum, quam uile ! Vile, set salubre. Si uile non esset, mihi non effunderetur ; si salubre non esset, me non lucraretur. Jhesus mel in ore, iubilus in corde. »

¹ *Manipulus flororum*, Oratio AO (Gregorius in pastorali) ; Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, I, 10 (B. Judic et al., SChr 381, 1992, p. 164).

² Exemplum 3.

³ *Manipulus flororum*, Christus T (Bernardus super Cantica) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones super Cantica Canticorum*, 9, 5 (SBO, I, p. 45) et 15, 4 (SBO, I, p. 85).

[d] De quarto nota quod non est in mundo cantor aliqui, quantumcumque habeat altum tonum, qui incipiendo ab ultima nota de grauamento posset continue ascendendo attingere ad ultimam notam et supremam de la sol, quando bis uel ter deficeret in medio, unde qui uult ab infima nota attingere ad supremam oportet frequenter uocem reflectere et basse resumere. Nota : altissima et suprema superans omnem notam est noticia Jhesu Christi : *hec est uita eterna ut cognoscant te solum uerum et quem misisti Jhesum Christum*, Luc. (Jo. 17, 3). Vocabitur Altissimi filius. Ad attingendum istam notam cantor quilibet debet niti, dicente Ps. (12, 6) : *cantabo Domino qui bona tribuit mihi et psallam nomini tuo altissime*. Set quia in uita ista non possumus ad uitam illam altissimam attingere nisi incipiendo ad inferioribus notis, ad Dei noticiam non deuenimus nisi ex creaturis, inde est quod nullus, quantumcumque habeat altum tonum, id est acutum ingenium, bene potest ad notam illam attingere, nisi deflectat ad yma tonum suum, nisi in obsequium fidei captiuet intellectum suum. Aliqui uolentes ad hoc eleuare ingenium suum, credentes proprio ingenio adhuc attingere, turpiter deficiunt, similes illi Lucifero qui dicebat (Is. 14, 12-14) |37va| : *in celum concendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo*, cui dicitur ibidem : *quomodo cecidisti* etc. Unde illi istam notam melius attingunt qui frequenter basse resumunt qui bassa et humilia de se sentiunt. *Confiteor tibi Domine pater celi et terre quod abscondisti a sapientibus et prudentibus et reuelasti ea paruulis*, Luc. X (21). Numquam Anselmus, numquam quicunque magnus philosophus ita alte intonuit sicut fecit Johannes piscator et indoctus de quo dicitur quod, « si altius intonasset, totus mundus capere non potuisset¹. » Augustinus² : « Cum ad illam summam terrenitatem ascendimus, nichil melius puto quam omnem humanum ingenium simul omnem linguam tacere », *omnem intellectum captiuare in obsequium Christi* (II Cor. 10, 5). Subdit : cum hoc Paulus docuit qui cum audisset archana uerba, dixit : *non licet homini loqui* (II Cor. 12, 4). Sententia est : et si non sint uerba, est ergo nomen Christi Jhesu nomen super lacrimam eminentie celsioris. Phil. II (9-11) : *exaltauit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jhesu omne genu flectat celestium et terrestrium et inferorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jhesus in gloria est Dei patris*. Ad quam etc.

¹ Petrus Damiani, *Sermones*, sermo 1 in Epiphania Domini (PL 144, 509D).

² *Non inueni*.

SERMON 15

Troisième dimanche de Carême.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 37va-39vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 62rb-64ra ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 180v-181r.

Plan :

Prothème – Usage des membres et des sens. La parole du prédicateur.

Thème – La conscience est le temple de Dieu. Elle a deux portes : la volonté et la parole.

I – La puissance de Dieu sur la conscience humaine. Trois signes en sont la manifestation : la contrition, la confession, la satisfaction.

F. 37va : *Cum eiecisset demonium locutus est mutus* (Luc. 11, 14).

[Prothème] *Sapientia aperuit os mutorum*, Sap. IIII (10, 21). Propter hoc habemus in corpore uno multa membra quia diuersa membra diuersos actus habent ut unum alteri obsequatur. Oculi seruiunt corpori de voyn, aures de oyer, nares de odourer, manus de laborer, set os uel lingua secundum philosophum seruit de duobus, de parler et de savourer. Modo |37vb| sic est quod os uel lingua non potest facere ista duo simul, uidelicet loqui saporando uel saporare loquendo, ymmo sapor impedit loquela et econtrario. Iterum talis habet bonum os ad bene loquendum qui non habet bonum ad bene saporandum. Econtrario mutus quandoque bene saporat, unde hoc certe quia sapor et loquela sunt duo diuersa. Si essent idem, tunc os saporaret loquendo et loqueretur saporando et qui melius saporaret melius loqueretur et sic sapor faceret mutos loqui. Spiritualiter Apostolus comparat quasi quoddam corpus spirituale corpori naturali in quo sunt multa membra et unum solum caput : *in uno corpore multa membra habemus* (Rom. 12, 4). Omnia autem membra non eumdem actum habent etc. Manus corporis ecclesie sunt illi qui tenent uitam actiuam qui entendunt a laborer¹, oculi qui [tenant] uitam contemplatiuam qui entendunt a Dieu prier, aures sunt confessores set os uel lingua proprie sunt predicatori. Set in hoc differt *lingua* uel os spirituale autem corpori quia loquitur saporando et saporat loquendo. Nec predicator bene loquitur nisi loquela sua sapiat auditoribus. Unde hoc certe quia uerbum Dei quod predicator proponit et cibus in quo anima saporem inuenit sunt idem. Ps. (118, 103) : *quam dulcia faucibus meis eloquia* etc. Dicunt etiam doctores quod uerbum in diuinis est sapientia patris. *Fons sapientie uerbum Dei in excelsis* (Eccli. 1, 5). Ergo quia sapor et uerbum idem sunt, sapor loquela non impedit, ymmo sapor facit mutos |38ra| loqui, *sapientia aperuit os mutorum* (Sap. 10, 21) etc. Unde qui melius sapit melius loquitur. Set nota quod licet mediante ore uel lingua homo inueniat saporem in cibo, os tamen uel lingua non dant cibo saporem set coquus qui cibum parat. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus* (Ps. 67, 11). Ideo Jacobus in canonica sua, capitulo I

¹ laborer] labourer B.

(5) : *si quis uestrum indiget sapientia postulet a Deo qui dat.* Ut ergo uerbum meum uobis sapiat, recurramus ad Deum qui dicit : *ego dabo uobis os et sapientiam*, Luce. XXI (15) etc.

[Thème] *Cum eieisset demonium* etc. Nullus potest domum ingredi uel exire quamdiu ostia omnia clausa tenentur. Verum est : si essent plura ostia quorum unum solum esset apertum et alia clausa, per illud apertum posset homo ingredi uel exire sine aperitione aliorum. Set si essent solum duo ostia in domo sic tenentia se mutuo quod unum aliud aperiret nec unum posset sine alio aperiri, nullus posset primum ostium ingredi uel egredi quin oporteret necessario aliud aperiri. III Reg. VI (34) dicitur quod in introitu templi *ostium duplex erat et inuicem se tenens aperiebatur*. Templum Dei est domus conscientie : *templum Dei sanctum est quod estis uos* (I Cor. 3, 17). In hoc templo est duplex ostium.

Primum uoluntas, quod sic patet : cetere partes domus situate sunt immobiliter in determinatis locis, set ostium mutatur frequenter : aperitur et clauditur sicut a ianitore ducitur. In domo anime sunt multe partes (Jo. 14, 2) : *in domo Patris mei mansiones multe sunt* [38rb]. Inter omnes mutabilior est uoluntas. Alie uires habent determinatos situs in corpore sicut uirtus uisiua in oculis, audituia in auribus, ymaginatiua in capite, set uoluntas nullam partem corporis sibi determinat. Iterum nullam stabilitatem habet set aperitur et clauditur sicut a ianitore ducitur. Ratio est portarius qui claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit. Iterum sicut domum nullus intrat nisi per ostium, ita dyabolus domum conscientie intrare non potest nisi per consensum uoluntatis. Ergo est uoluntas ostium. Ad illud ostium frequenter pulsat dyabolus iuxta illud : *sto ad ostium et pulso* (Apoc. 3, 20).

Secundum ostium cordis est os. Que enim *de ore exeunt de corde prodeunt* (Mt. 15, 18). Ista duo ostia ita tenent se inuicem quod unum aperit et claudit aliud. Os enim aperitur ad loquendum et claudit ad tacendum secundum imperium uoluntatis et ideo impossibile est dyabolum eici de domo conscientie per ostium uoluntatis, nisi aperiatur in confessione ostium cordis. Unde non est contritio perfecta que demonium eiciat, nisi confessio habeatur in uoto. Propter hoc dyabolus, quando intravit domum conscientie, uidens quod expelli non poterit nisi ambo ostia sint aperta, claudit utrumque : *est in uobis qui claudit ostia et incendat altare meum*, Malachie primo (10). Primum ostium scilicet uoluntatem firmat sera obstinationis, secundum scilicet os claudit metu confusionis. Vis ergo demonium eicere ? Oportet utrumque ostium aperire. Hoc fuit demonstratum in [38va] euangelio hodierno ubi narratur quod demoniacus ille qui diu habuit demonium in corpore continue fuit mutus. Dyabolus tenebat ostium oris clausum : *erat enim Jhesus eiciens demonium et illud erat mutum* (Luc. 11, 14). Set cum eieisset demonium, ostium fuit apertum, tunc enim *locutus est mutus*. Notantur tria : in curatione enim demoniaci uel peccatoris habentis demonium, primo Dieu demonstre sa puissaunce, *cum eieisset demonium*, le pecheur reconoit sa deliveraunce, *locutus est*, il recorde sa deseavaunce, *mutus*.

[I] De primo nota quod quando curia pape mutatur de loco ad locum, de una ciuitate ad aliam, frequenter in retinendo hospicia magnatum est magna contentio grant escrit. Si aliquis potens ueniat

ad hospicium unum, primo reputat ius se habere in eo ; si autem potentior eo superuenerit qui possit ostendere se esse potioris iuris, in hospicio illo statim signum uel vexillum secundi domini ponitur ante domum ad insinuandum quod nomine suo uel in manu sua retenta est domus illa. Primus expellitur, secundus recipitur. Spiritualiter domus uel hospicium conscientie numquam est uacuum : uel Deus uel dyabolus hospitatus est ibi. Modo inter istos est controuersia : dyabolus dicit se habere ius in domo anime quia sibi per peccatum impingorata set Christus¹ respondet se esse potioris iuris quia per eum redempta. Vis eicere dyabolum ? Ponas signum domini secundi Christi scilicet sacramentum penitentie sacre rei. Signum illud est signum quod debet poni ad insinuandum quod dyabolus electus est de hospicio conscientie |38vb| et Christus hospitatus est ibi. I Reg. X (7) : *quando eueniunt hec omnia signa tibi Dominus tecum est.* *Signa* dicit in plurali quia in penitentia sunt tres partes, contritio, confessio, satisfactio. Set sunt tria signa per que insinuantur quod domus anime in nomine Christi sit retenta, que tibi Saluator enumerat ibi cum dicit (Marc. 16, 17-18) : *signa eos qui crediderunt hec sequentur in nomine meo demonia eicient linguis loquentur, serpentes tollant.*

Primum signum est lacrimosa contritio que notatur cum dicit : *in nomine meo demonia eicient.* Vulgo dicitur quod tria sunt que eiciunt hominem de domo propria : fumus, stillicidium et mulier litigiosa. Prou. XXVII (19, 13) : *tecta iugiter perstillancia et mulier litigiosa* comparantur. Mulier uel uxor quam desponsat dyabolus, est conscientia peccatoris ; consensus in peccatum causat matrimonium illud litigiosum, ergo mulieris est remorsus conscientie cum tali conscientia tediosa non libenter habitat dyabolus, *eice derisorem et exibit cum eo iurgium*, Prou. XXII (10). Fumus cordis est suspicium contritionis, stillicidium lacrimose deuotionis. Hunc fumum et hunc stillicidium numquam potuit pati dyabolus quia ipse numquam confiteri potuit. Figura ad hoc Tob. VI ubi legitur de iuuene Tobia qui proficiscebatur cum angelo in terram illam in qua deberet uxorari, inuenit in uia piscem de quo tulit intestina et cum quereret ab angelo ad quid hoc ualeret, respondit (Tob. 6, 8) : *cordis eius particulam si super carbones ponas fumus eius extricat omne genus demoniorum*, et nota quod dyabolus in illam mulierem |39ra| tantam potestatem habuerat quod iam occiderat ei VII uiros. Per hanc mulierem intelligo conscientiam VII uiciis mortalibus intentam. Vis ab ea potestatem dyaboli expellere ? *Cordis particulam* etc. *Fumus eius* etc. Est ergo primum signum lacrimosa contritio, id est signum Caym quod interpretatur lamentatio². De quo in Gen. (4, 15) dicitur quod posuit *Dominus signum in Caym*, ad litteram tremorem. In tremore sunt duo motus contrarii, unus superior et aliis inferior. Sic ad contritionem mouetur aliquis ex duobus : ex timore Gehenne, ille est motus superior. *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni siue in excelsum superiori* (Is. 7, 11), sine quo non est tremor contritionis perfectus. Expone totum.

Secundum signum est confessio. *Linguis loquentur nouis* (Marc. 16, 17). Primum signum quo excitantur religiosi ad surgendum de lectis est signum horologii : facto illo signo nullus debet

¹ Christus add. B s.l.

² Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 63 (*sub nomine Cainan*).

remanere in lecto. Horologium autem non in omni hora cantat set horis determinatis, quod ideo est quia in horologio est una rota que continue uoluitur in que sunt multa puncta que continue pretereunt unum post aliud. Modo non¹ in quolibet puncto cadit horologium, set sunt aliqua determinata puncta que pertransiri non possunt quin horologium cadat, et tunc² necesse est quod cantet, alias non. Spiritualiter horologium cordis est lingua oris. Illud horologium, quando cantat in confessione, inquietat, non permittit iacere dyabolum in lecto conscientie, signum ergo horologii est confessio lingue uel oris. *Itaque lingue in signum sunt*, prima ad Cor. (14, 22). Iterum nota quod non est necesse horologium [39rb] illud semper cantare, in omni casu non est necesse confiteri. Per rotam que est intus in horologio que circulariter uoluitur, quia figura rotunda perfectissima est et motus circularis regula omnium aliorum motuum, intelligo regulam quamdam menti humane naturaliter impressam, per quam potest se et debet regere et dirigere in omnibus factis suis. In hac uita³ sunt multa puncta que seruare debemus et tamen frequenter ea preterimus, inter que sunt decem puncta determinate figurata, que sine casu preteriri non possunt, scilicet decem precepta Decalogi que pretereundo cadit homo de statu gratie in lutum culpe. *Cecidit Babilon et facta est habitatio demoniorum*, Apo. XVIII (2). Et ideo talia sunt de necessitate confessionis, alia non. Hoc est mente cantare horologium. Dilata. Illud est signum Ezechias de quo in IIII Reg. X (20, 8) : *dixit Ezechias ad Sisaram quod erit signum quod Dominus me sanabit*. In Ysa. (IV Reg. 20, 9) : *hoc erit signum eius ut ostendat umbra X lineis aut reuertatur totidem gradibus* etc. Hoc fuit factum in horologio Achab : tunc ascendit umbra X lineis quando peccator umbrosus, projecto post tergum sole iustitie, decem precepta legis transgreditur, set tunc reuertitur in horologio totidem gradibus quando eodem ordine quo culpam commisit eam confitetur.

Tertium signum est satisfactio cuius partes sunt oratio, ieunium et elemosina. *Serpentes tollant*. Dicitur de quodam aspide quod scilicet propter carmen incantatoris eicitur de cauerna sua seu [39va] exire compellitur. Quia ergo umbram diligit, non uult ad lucem uenire ut non audiat uocem incantantis, unam aurem terre affigit et aliam cauda obstruit. Ps. (57, 5) : *furor illis secundum similitudinem serpentis*. Sic serpens antiquus dyabolus de cauerna conscientie eicitur carmine deuote orationis. *Hoc genus demoniorum non potest eici nisi in oratione* (Marc. 9, 28) etc. Set carmen⁴ orationis non potest incantare serpentem nisi aures cordis sint aperte et intente hiis que ore dicuntur. Habent autem aliqui aurem cordis affixam terrene cupiditati, aliqui cauda propria obturatam, id est delectationem sensualitatis, et illi carmen orationis quod ore cantant⁵, aure cordis non percipiunt, ideo serpentes non incantantur. Dilata. *Mittam in uos serpentes pessimos quibus non erit incantatio* (Jer. 8, 17). Ille due aures aperiuntur, prima per elemosinas, secunda per ieunium. Per primum fit destructio terrene substantie, per secundum maceratio carnis proprie ; est ergo tertium signum, satisfactio, cuius

¹ non add. *B* in marg.

² tunc] nunc *P*.

³ uita] rota *B*.

⁴ carmen] carmine *P*.

⁵ cantant] continunt *P, B*.

partes sunt iejunium, elemosina et oratio. Illud est signum de quo, Num. XXI (8), dictum est Moysi : *fac serpentem eneum et pone eum pro signo qui percussus a serpente aspicerit eum uiuet.* Christus met comparat se serpenti eneo. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto* etc. (Jo. 3, 14). Ratio est quia serpens eneus similitudinem et figuram serpentis habet set uenenum non habet. Sic Christus uenit in similitudinem carnis peccati, *qui tamen peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius* (I Pe. 2, 22). Ille serpens in cruce exaltatus fuit et [39vb] positus in signum cui contradicetur ad quid ut qui *percussus a serpente aspicerit eum* per deuotam orationem *uiuat* (Num. 21, 8). Si ergo signum sacrum sacramentum penitentie illa tria complectens, contritionem, confessionem, satisfactionem, figuratum fuit per signum Jone prophete qui fuit *tribus diebus in uentre ceti* (Matth. 12, 40) et sic saluatus fuit¹.

¹ fuit] expone add. B.

SERMON 16

Troisième dimanche de Carême.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 39vb-42vb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 180v.

Plan :

Prothème – Les soins à apporter à un cheval.

Thème – Les différents rythmes de marche du cheval. L'homme s'appuie sur deux pieds : l'amour de Dieu et l'amour du monde. La charité libère les pieds entravés.

I – Elle réveille ceux qui sombrent dans l'oisiveté.

Division 2 (Eze. 1, 7) : les éléments qui guident la course du chrétien :

- a. aller droit devant
- b. la sécurité
- c. la stabilité
- d. la nécessité

F. 39vb : *Ambulate in dilectione* (Eph. 5, 2).

[Prothème] Quamvis non deceat domicellum habere palefridum ambularem talem qualem habet miles dominus suus, quin potius equum uel cursorem troctantem [habeat], consuetum est tunc, quando milites domini temporales de palefridis descendunt, quod domicelli famuli pedissequi palefridos magistrorum ascendunt, unde in Ecclesiastico (Ecce. 10, 7) dicitur : *uidi seruos in equis et principes quasi seruos ambulantes super terram*. Primum autem quod facit famulus, postquam palefridum domini sui ascendit, est ducere eum ad aquam. Post potum deducit eum aliquantulum et tandem reducit eum ad stabulum et pabulum. Hoc ideo dixi quia magister hodie mane tamquam priuilegium dicens quem decebat habere palefridum delicate et suauiter ambularem, id est thema proposita : *ambulate* etc., ego autem sum famulus pedissecus, qui postea habeo deducere eumdem palefridum thema ab eo iam deductum. Si ergo uolo facere consuetudinem, primum quod debo facere est ire ad aquam, non quidem ad aquam fluminis set ad aquam gratie et sapientie salutaris ; nec uideo quomodo possim |40ra| melius recurrere ad habundandum aquam abundanciam quam ad mare matrem aquarum, ad Mariam matrem gratiarum, unde in Gen. (1, 10) dicitur : *congregationes aquarum appellavit Maria*. Per aquam ergo gratie habenda appellemus Mariam etc.

[Thème] *Ambulate* etc. Hec est differentia inter equum ambularem et equum currentem, quia equus ambulans ordinate mouet pedes suos unum post alterum, preponens sinistro dextrum. Equus currens simul mouet utrumque nec seruat ordinem illum. Equi igitur, qui consuevit currere uel troctare, ut ambulare addiscat, ligantur pedes cum dupli fune, ita quod uno fune ligantur pedes dextri, alio pedes sinistri ; nec dexter funis sine sinistro nec sinister sufficit sine dextro. Illi duo funes cogunt equum ambulare quia cogunt eum pedes ordinate mouere unum ante alium, dextrum ante

sinistrum. Secundum beatum Augustinum¹, « pedes equi nostri sunt affectus animi ». « Pes meus, amor meus² » etc. Illorum pedum quidam sunt dextri, alii sinistri. Pes dexter est amor Dei, pes sinister amor mundi uel sui. Iste ergo recte ambulat, non currit, non troctat, qui pedes affectionum sic ordinat quod semper pedem dextrum, amorem Dei, preponit pedi sinistro, amori sui uel cuiusque alterius rei. Ita direxerat gressum suum sapiens qui dicebat : *ambulauit pes meus* etc. Ecc. V (Ecc. 51, 20), sed equi illi qui hunc ordinem preposcerant preponentes pedem sinistrum, amorem sui uel mundi, pedi dextro, id est amori Dei, |40rb| non ambulant in uia Dei, sed currunt in deuium peccati. *Non enim qui operantur iniquitatem* etc., Ps. (118, 3). In Prou. (1, 15-16) : *fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum ; pedes enim eorum ad malum currunt.* Bene dicit *Ne ambule cum eis.* Tota die inuenitur equus qui cum ambulantibus ambulat ; quando autem solus est uel cum trocantibus, troctat. Sic continue inuenitur homo qui cum bonis bonus efficitur ; quando autem solus est uel cum malis, deterioratur. Ideo dicit Cato³ : « Cum bonis ambula ». Et quia pedes nostri tardi sunt ad ambulandum in uia Dei, praui ad currendum in deuium peccati, Sap. (15, 15) : *pedes eorum pigri ad ambulandum*, ideo, ut dicamus ambulare, ut cogamus pedes affectionum ordinate uel debite ordinate, ligauit Deus pedes nostros dupli fune. Funes duo quorum pedes nostri sunt ligati sunt duo precepta caritatis : funus dexter est de dilectione Dei, sinister preceptum de dilectione proximi. Isti duo funes sic se habent quod nec sinister sufficit sine dextro, dilectio proximi sine dilectione Dei, nec dexter est possibile sine sinistro. *Qui enim non diligit fratrem suum quem uidet* etc., prima Io. (4, 20). Isti duo funes cogunt nos ambulare, quia cogunt nos pedem dextrum sinistro preponere, Deum ante omnia diligere. Unde Augustinus⁴, in Speculo : « Ante omnia diligamus Deum » etc. Isti duo funes figurati fuerunt in libro Iudicum (15, 13), ubi dicitur quod *ligauerunt Sampsonem duobus nouis funibus* sed delendum est quod ibi subdicitur in figura, et hoc uerificatur |40va| in re, quod sicut ad ardorem solent ligna consumi, ita uincula quibus ligatus erat dissipata sunt et soluta, hoc propter ardorem ignis luxurie qui est ignis usque ad consumptionem deuorans, propter ardorem ignis auaricie qui est ignis qui numquam dicit : Sufficit. Dissipata sunt et soluta uincula caritatis, quod deplorat Dominus per Ieremiam (10, 20) qui dicit : *tabernaculum meum uastatum est, omnes funiculi mei dirupti sunt et filii mei non subsistunt.* Hoc dupli fune, scilicet dilectione Dei et proximi, monet Apostolus ligari nolentes ambulare in uia Dei : *ambulate*, inquit, *in dilectione.* Ubi notantur tria in quibus deseruiunt nobis funiculi caritatis. Cum flagello enim de funiculis uel funibus auriga percutit et excitat equum pigritantem, retrahit et reuocat equum deuiantem, tangit et copulat equum et bouem arantem. Sic recte funiculis caritatis quasi quodam flagello excitantur torpentes ab otio : *ambulate* ;

¹ Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalmos*, ps. 94, 2 (E. Dekkers et J. Fraipont, SL 39, 1956, p. 1331).

² *Manipulus florū*, Amor H (Augustinus libro 13 Confessionum) ; Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII, XIII, 9* (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 246).

³ Ps.-Cato, *Disticha Catonis*, 6 (A. Baehrens, *Poetae latini minores*, Teubner, 1881, vol. 3, p. 215).

⁴ Petrus Lombardus, *Sententiae*, III, dist. 29, 2, 8 (Grottaferrata, 1971, p. 175).

reuocantur errantes a deuio : *ambulate in, non extra* ; copulantur currentes in stadio : *ambulate in dilectione*.

[I] De primo nota quod auriga uolens excitare ad motum currum uel aratrum otiosum flagellat et stimulat, non quidem aratrum set animal aratro copulatum : *qui tenet aratrum stimulo boues agitat*, Ecc. 34 (38, 26). Stimulato et excitato animali necesse est aratrum excitari. Set e contra qui solum aratrum stimularet, nec animal nec aratrum excitaret. |40vb| Saluator noster in Luca comparat laborem penitentie [et] exercitum boni operis, labori et exercitio aratri : *nemo mittens manum ad aratrum* etc. (Luc. 9, 62). Aratrum igitur otiosum, quod isto tempore precipue debet excitari ad laborem penitentie, ad exercitum operis boni et meritorii, est cor humanum ; animal aratro copulatum est animus uel spiritus corpori unitus. Sicut enim impossibile est aratrum excitari ad motum, non excitato prius animali trahente, ita impossibile est corpus excitari in quocumque meritorio opere nisi spiritu uel animo consentiente et uolente. *Non enim secundum carnem sed secundum spiritum ambulemus*, Ro. X (8, 4). Aratrum nostrum, caro nostra, stimulatur frequenter. Datus est mihi stimulus carnis mee set stimuli carnis non excitant ab otio, quin potius ad otium prouocent¹. *In requie sua stimulabitur* in Ecclesiastico (20, 23). Ergo animum oportet stimulare². Et quis est stimulus quo debet excitari noster animus? Amor diuinus, ex quo animus pungitur aculeo diuini amoris, necessarium est aratrum et animal, totum hominem excitari ad motum bone operationis. Ita dicit Augustinus³ : « Amor Dei nescit esse otiosus. Operatur enim magna si est. Si autem operari renuit, amor non est. » Est ergo stimulus uel flagellum quo torpentes ab otio [excitantur]. Hoc stimulo diuini amoris, qui est recte stimulus Spiritus Sancti, agitabantur illa animalia, de quibus loquitur Ezechiel (1, 12) in figura Dauid quod *ubi erat impetus spiritus illuc gradiebantur*. Sequitur (Ez. 1, 19) quod : *cum ambularent animalia, ambu|41ra|labant pariter et rote iuxta ea*. Ecce quomodo excitato animali necesse est currum uel aratrum excitari. De animalibus istis Eze. 4° (1, 7) dicit primo quod *pedes eorum pedes erant recti*, secundo (Ez. 1, 12) quod *unumquodque coram facie sua ambulabat*, tertio (Ez. 1, 17) quod *non reuertebantur cum ambularent*, quarto (Ez. 1, 19) quod *cum ambularent animalia ambulant pariter et rote iuxta ea*.

Propter expositionem figure, sciendum primo quid signant animalia et quid rote. Quod Ezechiel uocat hic animalia, uocat in secundo capitulo cherubim quod interpretatur plenitudo scientie⁴. Ista ergo animalia Dei sunt clerici qui uigent acumine sensus et scienzie et sunt ad obsequia Dei spiritualiter deputati, ut dicat quilibet cum asina Balaam (Num. 22, 30) : *nonne animal tuum sum*. Videlur mihi quod qualis est distinctio animalium, talis est distinctio clericorum. Dicit philosophus⁵ quod « animalia quedam sunt perfecta, quedam imperfecta ». Imperfecta animalia habent alimentum

¹ prouocent] prouocant P.

² stimulare] stimulari P.

³ Cf. *Manipulus florū*, Opus F et Otiositas G ; Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri duo*, II, 30, 2 (PL 76, 1221B).

⁴ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 74.

⁵ Non inueni.

coniunctum. Ideo non mouentur ad distans motu progressiuo set mouentur solum motu dilatationis et contritionis. Animalia perfecta querunt alimentum remotum et mouentur ad distans motu progressiuo. Per alimentum coniunctum, intelligo beneficium ecclesiasticum officio clericali annexum ; ad litteram, in beneficio ecclesiastico non habent clericci nisi uictum suum : *habentes alimenta et quibus tegamur* (I Tim. 6, 8) ; hiis contenti sumus. Olim autem animalia Dei clericci non habebant uictum coniunctum set mendicabant sibi uictum et tunc erant animalia Dei perfecta, mouebantur motu progressiuo proficientes semper et tunc *ambulantibus animalibus* etc. Rote que subsunt currui, id est cure uiri [41rb] ecclesiastici, ibi ambulabant iuxta animalia, imitantur clericorum exempla, set hodie habent animalia Dei alimentum coniunctum, beneficium beneficio annexum. Et quid secutum est ? Facta sunt animalia imperfecta. Ideo non mouentur motu progressiuo, dimiserunt spiritualem perfectum et mouentur motu dilatationis et contritionis, solum si sunt hodie homines in mundo qui dilatant¹ se in pompis, honoribus et diutiis. Illi sunt clericci, illi ambulant in latitudine. Ambulant *in magnis et mirabilibus super me* (Ps. 130, 1). « Dilatant philacteria sua et magnificant fimbrias². » Iterum mouentur motu restrictionis, restringunt se in elemosinis plus quam faciunt layci. Unde rote pauperes qui uoluuntur in rota fortune, hodie fortissime murmurant contra eos quia non unguntur ab eis unguento misericordie et compassionis et hanc eamdem differentiam uideo adhuc inter clericos nostri temporis. Videbitis pauperes scolares qui non habent alimentum coniunctum, non habent adhuc aliquod beneficium : ipsi mouentur motu progressiuo, proficiunt in deuotione et studio, optimi sunt. Quando habent alimentum coniunctum, promouentur ad aliquod pingue beneficium, ipsi dimitunt motum progressiuum, spiritualem profectum, et mouentur motu dilatationis et constrictionis. Illuc supra habemus. Ergo *animalia pusilla cum magnis* (Ps. 103, 25), perfecta imperfectis. De motu istorum animalium Eze. 4 (1, 7) dicit primo quod debent excludere obliquitatem, *pedes eorum recti*, secundo includere securitatem, *unumquodque coram facie sua ambulabat*, tertio habere [41va] stabilitatem, *non reuertebantur cum ambularent*, quarto preponere necessitatem, *cum ambularent animalia ambulant pariter et rote iuxta ea*.

[a] Quantum ad primum, notandum quod *rectus*³ debet esse et est iudex sui et obliqui ; iudices autem populi in fore ecclesiastico sunt clericci et ideo si uolunt rectificare obliquitatem in aliis, debent esse recti primo in se ipsis, ut cuilibet possit dici (Ps. 118, 137) : *iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum*. Ecce monstrum ostendet in natura quia sibi toto applicaret⁴ rectam regulam et non rectificaretur regula actuum humanorum. Est ratio : rectitudo huius regule est scientia moralis, precipue iura ciuilia et canonica et diuina sunt rectitudines quedam ; quod ergo iudex ecclesiasticus qui se totum applicat ad regulam, qui toto affectu incorporat sibi iura, inueniatur tortuosus uel obliquus in iudiciis, in allegationibus ; in talibus uere monstrum est in moribus. Si iudex laycus qui

¹ dilatant] dilatent P.

² Augustinus Hipponeensis, *Speculum*, 25 (F. Weihrich, CSEL 12, 1887, repr. 1964, p. 170).

³ *rectus*] *rectum* P.

⁴ quia sibi toto applicaret] quod aliquid se toto tangeret P.

non est regule recte sic applicatus et ignorat iura, inuenitur tortuosus, peccatum est sed non monstrum. Quod peccata clericorum sunt uere monstra dicit expresse beatus Bernardus¹ : « Audi, inquit, canticum nouum minus suaue, sed salutare. Monstruosa res est gradus summus et animus infimus, sedes prima et uita yma, lingua magniloquia manus otiosa, sermo multus et fructus nullus, uultus grauis et actus leuis, caput cauum et cor nanum, facies rugosa, uigens auctoritas, mutans instabilitas ». Ecce quod peccata clericorum sunt monstra. Hoc |41vb| monstrum scilicet tortuositatem cum rectitudine recte regule dicebat se uidisse Sap. in Ecclesiastico (Ecce. 3, 16) : *uidi, inquit, sub sole in loco iudicii impietatem et in loco iustitie iniquitatem.* Nota de baculo posito in aqua sicut in sermone² *Qui custos* etc. Item nota quod Hugo de Sancto Victore³ totam obliquitatem que est hodie ascribit uiris ecclesiasticis : « Prelati, inquit, sunt impii et subditi sunt iniqui, quia nisi illi per impietatem innocentiam preuenient, per pietatem illi iustitiam non impugnarent. » Debet primo motus animalium Dei excludere obliquitatem, Ysa. 26 (7) : *semita iusti recta rectus* etc.

[b] Debet secundo includere securitatem : unumquodque coram facie sua ambulat, est ualde securum quia qui coram facie sua ambulat errare non potest, nisi autem propter deffectum luminis aut propter hoc quod terminum uie ignorat. Unde si esset aliqua facies talis in qua inuenirentur hec duo in quo scilicet lumine claresceret et que terminum uie ostenderet, *ambulans coram facie sua errare non posset*, recte talis est facies anime. Facies anime est conscientia ; sicut enim per nullam partem corporis discernitur ita bene sicut per faciem, sic interior homo non cognoscitur perfecte per quecumque exteriora set per solam conscientiam. In hac facie inueniuntur illa duo predicta.

Primo enim in ea signatum est lumen quod preseruat ab offensa, scilicet lex nature que sufficit ad non offendendum, quamuis non ad merendum. *In facie prudentis lucet sapientia* (Prou. 17, 24). Debet ergo tamquam lucerna portari ante |42ra| oculos et non retro. Iuxta illud Iob (13, 14) : *animam meam in manibus meis porto.* Iterum intuendo faciem anime, homo uidet terminum uite sue quia in ea relucet ymago Trinitatis : *intra te signatum est super nos lumen uultus tui Domine* (Ps. 4, 7). Et hoc etiam secundum ualet ad non errandum. In cuius figura dicit Dominus ad Moysem in Ex. (33, 14) : *facies mea precedet te.* Ille secure ambulat qui ambulat coram facie sua, qui facit quod recta conscientia sibi dicat. Set recte sunt aliqui hodie similes symie⁴ que quandoque duos symea fetus famulos parit et quando fugatur a uenatoribus, unum eorum amplectitur et portat coram facie sua, alium proicit supra dorsum, ueniens ad passum nititur dimittere illum quem amplectitur inter brachia, alium non potest dimittere quia firmiter collo eius adheret. Peccator eo ipso quod peccato consentit, duos fetus parit, primum delectatio peccati, secundum remorsus conscientie ; primum scilicet delectationem amplectitur, portat coram facie sua, uellet eam semper presentem habere ; secundum, scilicet remorsum conscientie, proicit retro dorsum, numquam uellet recolere set quando finaliter

¹ Bernardus Clareuallensis, *De consideratione libri V*, II, 14 (SBO, III, p. 422).

² Sermon 63.

³ Hugo de Sancto Victore, *In Salomonis Ecclesiasten homiliae*, XIX, 18 (PL 175, 246D).

⁴ Exemplum 4.

ueniet ad passum strictum mortis, cessabit delectatio et uermis conscientie manebit qui peccatorem torquebit perpetuo. *Vermis eorum non morietur* etc. (Is. 66, 24) De tali potest dici illud Abacuc 30 (3, 5) : *ante faciem eius ibit mors*. Nota : philosophus narrat de quodam quod quocumque ibat, portabat ydolum faciei sue in descensu¹. Applica ad simplices qui habent |42rb| debilem uisum etc. Ratio secunda assignatur debilitas sui uisus.

[c] Tertio debent habere stabilitatem, *non reuertebantur cum ambularent* (Eze. 1, 12). Hec est differentia inter motum naturalem et uiolentum, quia illud quod mouetur secundum inclinationem ponderis naturalis, continue in motu intenditur et ad terminum ueniens non reuertitur totum. E contrario est de hoc quod mouetur impulsu uel uiolentatum ab alio. Pondus naturale cordis est amor. « Pondus meum, amor meus² », iuxta aliam litteram. Ambulantes in uia Dei aliqui mouentur non amore sed timore pulsi uel humano fauore. Prosequere de utroque³ sicut uis. Quando tales uenient⁴ ad terminum optatum, statim retrocedunt Deo et reuertuntur sicut canis ad uomitum, set illi qui in uia Dei inclinantur amore, ibi continue intenduntur nec quiescant donec ueniant ad Deum. In nulla enim re de mundo quietatur eorum desiderium. Augustinus⁵ : « Fecisti nos, Domine, ad te et inquietum est cor nostrum donec quiescat in te ». Tales non retrocedunt a bono incepto : *Semitam, inquit, per quam non reuertar ambulo* (Iob 16, 23). In figura huius dicitur in Ezechiel quod animalia gradiebantur *nec reuertebantur cum ambulabant*.

[d] Quarto etiam ultimo debet preponere necessitatem. *Cum ambularent animalia, ambulant pariter et rote iuxta ea* (Ez. 1, 19). Rota uel currus non excitatur ad motum nisi quando animal est currui copulatum. Multum enim esset mirabile quod equus exiens Parysius in stabulo regis moueret currum exeuntem Andegauis in curia episcopi. Quando autem equus est currui copulatus, si |42va| currus deuiet, corruat uel titubet, non imputatur rotis set animali trahenti. Dixi a primo quod rote que subsunt currui sunt populares qui uoluuntur in rota fortune et subsunt cure uiri ecclesiastici. Quicumque ergo habet curam animarum debet trahere unum magnum currum. Unde Can. (1, 3) : *trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*. Ex odore doctrine et bone fame prelatorum et curatorum debent subditi attrahi ad bonum, facta prelatorum facile trahuntur a subditis in exemplum Gregorii et pro Deo. Quomodo est hoc possibile quod currus bene incedat, quoniam habet curatus uel episcopus in dyocesi Andegauensi, quando per totum annum uel maiorem partem anni iste est separatus a cura, stat Parysius in curia regis, intendens cauis uel secularibus negotiis ? Certe uidetur mihi ualde mirabile et uidetur impossibile. Vis ergo bene trahere currum et bene regere curam tuam ? Oportet te esse iuxta currum presentem, iunge te ad currum istum, unde dictum est Philippo in

¹ descensu] et seu add. *P.*

² *Manipulus florum*, Amor H (Augustinus libro 13 Confessionum) ; Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII, XIII, 9* (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 246).

³ utroque] utriusque *P.*

⁴ ueniunt] uenient *P.*

⁵ Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII, I, 1* (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 1).

Actibus¹ : Caeas tibi bene quod si currus corruat uel titubet, imputabitur tibi. *Ruina hec sub manu tua* in Ysa. (3, 6). Si aliquis propter defectum tuum pereat, super animam tuam erit, 3 Reg. (20, 39) : *custodi mihi uirum istum qui, si lapsus fuerit, erit anima tua* etc. Quando prelatus est presens sue dyocesi, curatus sue parochie, suo curui si bene ambulet, si bonum exemplum subditis tribuet, cum ambulantibus animalibus *ambulat pariter et rote iuxta ea*, iuniores imitantur maiorum exempla. Si deuiet, si titubet, quid |42vb| sequitur ? Restat. Dicit Gregorius² : « Et dum pastor per abrupta graditur, ad precipicium grex labatur. » Propter hoc dicitur de rotis in figura (Ez. 10, 17) quod *cum stantibus stabant cum eleuatis eleuabantur* etc. Iuxta uulgare dictum : ordo est prepositus, quando caruca preponitur bobus. Clerici tamquam animalia debent precedere rotas, laycos, non solum uerbo doctrine set exemplo uite. Unde Gregorius³, in Pastorali [regula] : « Tantum debet precedere populum actio presulis quantum distare solet a grege uita pastoris. » Et hodie prepositus⁴ est ordo : layci ydiote precedunt clericos. Ecce, inquit Augustinus⁵, ydiote « rapiunt celum, nos autem cum litteris... » etc. Ieronimus⁶ : « Ut uehementer ecclesiam destruit, meliores esse laycos quam clericos », et meretrices precedunt uos in regno Dei etc. Ad quod etiam etc.

¹ Non inveni.

² Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, I, 2 (B. Judic et al., SChr 381, 1992, p. 134).

³ Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, II, 1 (B. Judic et al., SChr 381, 1992, p. 174).

⁴ prepositus] prepositatus *P.*

⁵ *Manipulus florū*, Meritum C (Augustinus super Mattheum 11) ; cf. Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII, VIII, 8* (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 125).

⁶ *Manipulus florū*, Clericus F (Hieronymus super epistolam ad Timotheum).

SERMON 17

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 42vb-47vb.

Plan :

Thème – La foi est comparée à un édifice stable bien qu'exposé aux vents :

- a. les éléments qui constituent la foi : la parole de Dieu, un comportement chrétien.
- b. la foi est élevée : elle excède les capacités de l'esprit humain.

Division – La foi est soutenue par 4 piliers qui figurent les 4 évangélistes. Les caractéristiques de la vie du Christ :

I – La vérité pure = confiance dans ses paroles

Division 2 (Jo. 21, 24) : les paroles de Jésus sont dignes de confiance pour 3 raisons :

- a. leur source est fiable
- b. elles ont été confirmées
- c. elles ont été mises en application par l'Eglise

II – La fermeté de sa main = la constance dans ses actes

III – La pureté de son esprit = sa conscience

F. 42vb : *Testimonium Christi confirmatum est in uobis*, I Cor. 1 (6).

[Thème] Edificium nobiliter altum et undique uentis expositum ad hoc quod sit bene stabile et firmum, opportet quod in fundamento inferius circa parietes fiant pilaria fortia edificium confirmantia, ita quod hec duo reddunt edificium bene firmum, scilicet solidum fundamentum et ualidum appodiamentum. Hoc ideo dixi quia edificium firmum et ualde altissimum fides est. Edificium autem et undique uentis expositum est fides catholica. Hec est domus Domini firmiter edificata, bene fundata est etc. *Petra autem erat Christus*, I Cor. 4 (10, 4). Declaro per ordinem omnia predicta.

[a] Primo quidem quod fides Christi sit quoddam edificium patet per [43ra] Apostolum qui sic uocat eam, I Thi. (1, 4) : *edificationem Dei que est in fide*. Ideo autem dicitur edificium quia quicquid docet est edificatorium, I (II) Cor. 12 (9) : *coram Deo in Christo loquimur omnia prope edificationem uestram*. Lapides ex quibus edificium fidei integratur sunt quecumque bona uerba et opera per que proximus edificatur et in fide confirmatur. Rom. 16 (15, 1) : *debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere*, quasi dicat : debemus debiles in fide confirmare, et statim subdit modum : *unusquisque uestrum proximo suo placeat in bonum ad edificationem* (Rom. 18, 2), et I Cor. 4 (14, 26) : *Omnia ad edificationem fiant*. Unusquisque autem uerbo et exemplo edificans proximum cooperatur ad Dei edificium. *Consolamini inuicem et edificate alterutrum*, prima

Thess. I (5, 11). Dico autem significanter uerbo et exemplo quod secundum beatum Augustinum¹ ad edificium construendum et ad fidem Christi astruendum, non solum sufficient facta sine dictis nec dicta sine factis. Unde Augustinus² : « Fides appellata est ab eo quod fit. Due sillabe sonant, cum dicitur fides. Prima sillaba est a facto, secunda a dicto. Interrogo ergo te utrum credas ? Et dicis : Credo. Fac quod dicis et fides est. » Hoc Augustinus uult dicere quod hoc uocabulum, fides, construitur ex duabus sillabis quarum una est a dicto, altera a facto. Indicat quod fides debet astrui dictis et factis nec alterum sufficit. Ratio huius est quia quando in causa aliqua producitur contra aliquem unus testis, tamen testimonium est nullum. Deut. 19 (15) : *non stabit testis unus contra aliquem set in ore duorum uel 3 testium*, |43rb| stabit omne uerbum. Item si producuntur duo testes et illi inueniuntur contrarii et discordes, testimonium nullum est. Spiritualis causa que ducitur inter actorem et reum est causa fidei. Actor enim in causa fidei est Deus, Heb. (12, 2) : *aspicientes in actorem fidei* etc. Reus in causa fidei aduersarius Christi est *ille homo peccati filius perditionis qui aduersatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus* etc., II Thess. (2, 3-4). Testimonium enim modo in causa fidei pro actore debent duo testes, quia fidem Christi debemus protestari dictis et factis. Unde Io. (10, 25) : *opera que ego facio testimonium perhibent de me*. Et ideo quando testes isti inueniuntur contradictorii quod illud quod uerbis predicatoribus impugnant, testes nichil ualent. *Conuenientia testimonia non erunt*, Mt. 14 (Marc. 14, 56). Gregorius³ : « Tunc ueraciter fideles simus, si quod uerbis promittimus operibus complemus. » Iterum quando quantum ad astruendum producitur testis operis, tamen non est sufficiens testimonium. Unde Ieronimus⁴ : « Sancta quippe rusticitas que solum sibi prodest et quantum edificat ex uite merito ecclesiam Christi, tantum nocet si contradicentibus non resistat. Et innocens absque sermone conuersatio quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet ; nam latratu canum et baculo pastorum deterrenda est rabies luporum. » Figura est ad hoc Hesd. (II Esd. 4, 17), ubi reedificantes Iherusalem una manu faciebant opus et alia tenebant gladium. Gladius spiritualis est uerbum doctrine, iuxta illud apostoli : *Galeam salutis assumite et gladium spiritus quod est uerbum Dei*, Ephe. 9 (6, 17). Quod ergo *construens edificium* |43va| *una manu* etc. significat quod ad fidem astruendum requiritur exemplum uite cum uerbo doctrine. Sic patet primum quod scilicet fides est edificium.

[b] Est secundo edificium altissimum. Bene enim altissimum esset edificium cuius summitatem oculus discernere non posset, cuius culmen celum attingeret. Tale edificium est fides ad quam oculus naturali lumine uel mente non attingit. Transgreditur enim fides fines rationis humane nature, usum experientie terminorum super culmen cuius transcendent. Scribitur in legenda beati

¹ *Non inueni.*

² *Manipulus florū*, Fides siue fidelitas A (Augustinus in sermone 22) ; Augustinus Hipponensis, *Sermones*, XLIX, 2 (C. Lambot, SL 41, 1961, p. 615).

³ *Manipulus florū*, Fides siue fidelitas P (Gregorius hom. 29) ; Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri duo*, II, 29, 3 (PL 76, 1215A).

⁴ *Manipulus florū*, Exemplum F (Hieronymus in quadam epistola et est in glossa 1 Tim. 3) ; Hieronymus, *Epistulae*, LIII, 3 (I. Hilberg, CSEL 54, 1996, p. 447).

Matthei¹, quod cum ipse hospitatus esset apostolus Candacis regina² interrogatus ab ea³ quomodo tot linguas loqueretur et intelligeret, exposuit ei quomodo⁴ Spiritu Sancto descendente omnium linguarum scienciam reperisset, ut sicut illi qui per superbiam turrim usque ad celum edificare uolebant, per confusionem linguarum ab edificatione cessauerunt, sic apostoli per omnium linguarum scienciam turrim non de lapidibus set de uirtutibus, per quam qui crederent in celum ascenderent. Et uidetur mihi quod illi qui per rationes naturales uolunt probare ea que supra fidei sunt, recte assimilantur uolentibus edificare turrim cuius culmen attingeret celum. Ipsi enim *habuerunt lateres pro saxis et bitumen pro cemento*, Gen. 41 (11, 3), saxa firmissima quibus edificium debet construi, hoc est fides astrui super Sacre Scripture testimonia. Ps. (118, 152) : *initio cognoui de testimonii tuis quia* etc. Lateres qui franguntur de facili sunt rationes dyabolice que faciliter possunt infringi. Cementum in edificio fidei est caritas. *Caritas edifi|43vb|cat*, 2 (1) Cor. 9 (8, 1). Caritas enim unit corda fidelium ut sit eis anima una et cor unum in Deo. Sicut cementum iungit lateres in edificio, sic bitumen uel gluten quod facit cor humanum inordinate adherere mundo est cupiditas siue ambitio. Illi ergo qui in edificio culmen attingunt⁵ celum utuntur lateribus etc. Qui ad fidem astrensum non moti caritate proficiunt set ambitione, et ut nomen suum celebre faciant, dimitunt firmissimos lapides angulares sacre Scripture et inducunt rationes friuolas : *questionem magis prestant quam edificium*, prima Thi. (1, 4). Inde sequitur confusio labiorum ut habes in sermone⁶ *Ihesu fili Dauid* etc. Est ergo fides edificium altissimum et ideo exponitur uentis, id est persecutionibus tyrannorum et impugnationibus hereticorum, et tamen stabit semper firmissimum.

[Division] *Rogaui pro te ut non deficiat fides tua*, Luc. 22 (32). Et hoc ideo est quia habet solidissimum fundamentum et fortissimum appodiamentum. *Fundamentum autem Christi testimonium est Dei*, quod monstratum est, I Io. 9 (5, 10). *Fundamentum autem aliud nemo potest ponere*, I Cor. 13 (3, 11). Pilarii appodiantes sunt testimonia prophetarum et apostolorum, huic omnes prophete testimonium perhibent, Act. X (4, 33) : *uirtute magna reddebat apostoli testimonium* etc⁷. Set inter pilarios sunt quatuor principales iuxta quatuor fidei parietes, sunt quatuor euangeliste quorum primus Iohannes appodiat parietem primum, describens Christi generationem eternam a patre ; Mattheus |44ra| secundum describens natuitatem eximiam⁸ ; Lucas tertium describens eius sacerdotium et ymolationem ; Marcus quartum describens resurrectionem. Iohannes ideo, beatis Luce et sociis suis tamquam quatuor pilariis appodianibus edificium fidei fundamentum in testimonium Christi dicitur presens uerbum. *Testimonium Christi* etc. ubi commendatur a tribus secundum tria

¹ Ordericus Vitalis, *Historia ecclesiastica*, prima pars, II, 16 (PL 188, 168B sqq).

² regina] regine P.

³ ea] eo P.

⁴ quomodo] quo P.

⁵ attingunt] attingit P.

⁶ Sermon 14.

⁷ etc.] Act. Add. P.

⁸ eximiam] eximie P.

priuilegia que sunt in eius mente, manu et lingua. In lingua enim inuenitur ueritas sine fabula, *testimonium Christi*, in manu firmitas numquam tremula, *confirmatum est*, in mente puritas sine macula, *in uobis est*, prout demonstratiuum et significat nostram substantiam. Ergo eius dicta sunt credentie certioris : *testimonium Christi* ; facta constantie firmioris, *confirmatum est* ; mens intra conscientie purioris, *in nobis*.

[I] Circa primum notandum est quod nuntio portanti litteras credentie sigillatas sigillo domini creditur sicut crederetur domino presenti et personaliter loquenti, set uerum est quod portare tales litteras clausas est quandoque periculum magnum, in tantum quod credens portare litteras credentie, portat litteras mortis sue sicut contigit Uri. Hoc ideo dixi quia magister noster et Dominus Ihesus Christus duo paria litterarum credentie solet tradere, quibusdam equitibus, hoc est diuitibus, altera peditibus. Prime littere credentie sunt in auro et argento scripte dicentes ad litteram : « Dicimus de homine qui habundat in peccatis quod est optime litteratus. » Et dicuntur bene littere credentie quia omnis mercator libentius credit merces suas |44rb| ostendenti litteras et offerenti signum regium siue¹ peccuniam, id est argentum siccum, quam offerenti litteras et sigillum regni, ymmo plus litteris istis ita creditur hodie² quod uix reputatur aliquis fidelis fide dignus nisi sit peccuniosus. Ambrosius³ : « Ita incumbunt mores hominum in admiratione diuitiarum ut nullus nisi diues putetur honore dignus. » Si ille littere sunt credende, diutes quibus Deus credit bona fortune, non ut sibi retineant set ut tamquam nuntii aliis porrigan substantias tuas : *exporrigens da pauperibus*, Ecc. 14 (13). Quod autem diutes sint tamen nuntii et non domini, patet per Basilium⁴ qui dicit : « Panis est famelici quem tu tenes nudi tunica quam in conclavi conseruas, discalceati calceus qui penes te marcessit indigentis argentum quod possides tot iniuriatis quot subuenire nolueris ». In qua auctoritate appetit quidam qui portat litteras istas clausas, seruat peccunias in conclavi quas debet porrigure pauperibus, portat litteras mortis sue in testimonium dampnationis eterne, Iac. 6 (5, 1-2) : *agite nunc diutes* etc. *Diuitie uestre putrefacte sunt et uestimenta uestra a tineis commesta sunt, aurum et argentum eruginauit et erugo eorum in testimonium uobis erit.* Exemplum de illo qui abiens fodit in terra, abscondit peccuniam domini sui (Matth. 25, 18), projectus in tenebras exteriores (25, 30) benedit peccuniam domini sui, quia diutes solum sunt nuntii, non domini. Item non suam, quia secundum Crisostomum⁵ : « Qui diuitiarum |44va| seruus est diutias custodit ut seruus, qui autem seruitus excussit iugum dimisit eas ut dominus ». In contrarium qui litteras istas portat apertas, qui *manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperes*, Prou. ult. (31, 20), talis proprie portat litteras credencie in testimonium salutis sue. Heb. XI (4) : *fide plurimam hostiam Abel quam Caym optulit Deo per quam testimonium consecutus est esse iustus testimonium perhibente muneribus eius Deo et*

¹ siue] sibi P.

² hodie] et add. P.

³ Ambrosius Mediolanensis, *De officiis*, II, 26, 129 (M. Testard, Paris : Belles Lettres, 1992, p. 67).

⁴ *Manipulus florum*, Elemosina AU (Basilius homelia prima).

⁵ Hieronymus, *Commentarii in euangelium Matthaei*, I (D. Hurst et M. Adriaen, SL 77, 1969, p. 39).

per illam diffunctus adhuc loquitur. Littere credencie quarum sunt portatores, pauperes, pedites sunt littere euangelice, quarum portatores sunt pauperes pescatores. Ambrosius¹ : « Aufer argumenta ubi fides queritur². In ipsis gimnasiis sibi dyialectica taceat. Piscatoribus creditur, non dyialecticis ». Nec mirum *quia testimonium Domini fidele* etc., Ps. (18, 8). Iste sunt littere credencie in Io. scilicet ultimo (20, 31) : *hec autem scripta sunt ut credatis* etc. Tunc etiam sigillate [sunt] sigillo Domini confirmante, signis et prodigiis, que non nisi a Deo poterant fieri : Io. (3, 2) : *nemo potest hec signa facere que tu facis* etc. Et ideo nuntio litteras istas portanti debet credi sicut domino personaliter loquenti. Nuntii autem portatores istarum litterarum credencie sunt quatuor euangeliste quorum unus est Lucas denominatus a luce *quia hic uenit in testimonium ut testimonium* etc., Io. I (7), ut omnes crederent scilicet sibi per illum. Ergo si debet credi sicut domino loquenti, ipse enim *testimonium perhibuit uerbo Dei et testimonium Ihesu Christi*, Apo. I (2), quasi dicat : si illius litteris non |44vb| creditis, saltem nobis nuntiis credatis. Deinde enim scripsit, dicamus ergo de illo illud Io. ult. (21, 24) : *hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de hiis et scripsit hoc et scimus quia uerum est testimonium eius*, ubi ostenduntur eius dicta esse credencie certioris propter tria, primo quia de scole magistralis auditorio reportata, *hic est discipulus ille*, secundo a curie principalis notario confirmata³, *testimonium perhibet scripsit* hoc, tertio ab ecclesie totalis consistorio applicata, *et scimus* etc.

[a] Circa primum nota quod in scola unius magistri habet centum auditores et tamen uix de centum erunt X boni reportatores. Scola magistralis scola Christi. *Magister uester unus est, Christus*, Mt. 13 (23, 10). Hec scola in comparatione ad alias habet plures auditores set pauciores reportatores.

Primo si comparemus scolam Christi que est scola ueritatis : *ad hoc natus sum et ad hoc ueni in mundum ut testimonium perhiberem ueritati*, in Io. (18, 37), ad scolam mendacii que est scola proprie dyaboli : *qui mendacium loquitur, ex propriis loquitur* in Io. (8, 44), ideo scola mendacii habet incomparabiliter plures auditores. Mendacia, truffe, fabule, libentius audiuntur hodie quam sermones et ueritates euangelice. Iam uenit tempus quod Apostolus predixerat futurum, prima ad Thym. III (II Tim. 4, 1) : *testificor coram Deo* etc. Sequitur (4, 3) : *erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt* etc. Sequitur (4, 4) : *ad fabulas autem conuertentur*. Item hec scola habet fere tot reportatores quot auditores. |45ra| Unus rumor malus et mendosus a quocumque auditus statim reportatur set e contra scola ueritatis, etsi habet paucos auditores, habet pauciores reportatores. Libentius audiuntur et referuntur mala quam bona, mendose adulaciones quam ueridice correctiones. Unde tales auditores et reportatores mendacii non sunt Christi discipuli in Io. (8, 31-32) : *si manseritis in sermone meo et uerba mea in uobis manserint, uere discipuli mei eritis et cognoscetis ueritatem et ueritas liberabit uos.*

¹ Ambrosius Mediolanensis, *De fide libri V (ad Gratianum Augustum)*, I, 13, 84 (O. Faller, CSEL 78, 1962, p. 36-37) ; Petrus Lombardus, *Sententiae*, III, dist. 22, 1, 3 (Grottaferrata, 1971, p. 136).

² queritur] que P ; gimnasiis] gignasiis P.

³ confirmata] confirmatam P.

Si secundo comparemus scolam Christi, que docet uiam consiliorum, ad scolam Moysi que docet uiam mandatorum, adhuc scola habet paucissimos auditores et causa est ista : pueri enim fugiunt scolam magis quia spoliat eos et uerberat uirgis. Christus docens paupertatem uoluntariam spoliat discipulos, scilicet bonis fortune, dicens : *omnis ex uobis qui non renunciauerit omnibus que possidet, non potest esse meus discipulus*, Luc. XXIII (14, 33). Propter timorem paupertatis multi fugiunt magisterium Christi, nolunt effici religiosi similes illi cui petenti a Christo (Luc. 10, 25) : *magister quid faciendo uitam eternam possidebo ?*, et Christus (Mt. 19, 21) : *si uis perfectus esse uade* etc. Sequitur (19, 22) : At ille *abiit tristis*. Cogitare debent isti qui tempore paupertatis fugiunt magisterium Christi, hoc quod Christus dicit discipulis (Luc. 22, 35-36) : *quando misi uos sine sacculo, sine pera, numquid aliud defuit uobis ?* Responderunt nichil uel ueritatem. Christus bene permittit suos discipulos esurire sicut patuit, Mt. |45rb| II (Luc. 18, 1) : *set non sinit eos deficere*. Ps. (33, 11) : *diuites eguerunt et esurierunt* etc. Iterum Christus diuites penitencia uerberat, discipulos scilicet uirga discipline dicens, Luc. XIII (27) : *qui non baiulat crucem suam et uenit post me non potest meus esse discipulus*. Propter timorem huius uirga fugiunt quandoque magistrum, ideo suimet discipuli ; cum enim duceretur ut crucifigerent¹ eum, *discipuli omnes relicto eo fugerunt*, Mt. XXV (26, 56). Patet ergo causa quare scola Christi habet paucissimos auditores, quia uidelicet timent spoliari bonis fortune et uerberati uirga discipline. In signum huius illi ceco illuminato dicenti Phariseis : *numquid et uos uultis eius discipuli fieri ? Maledixerunt et dixerunt : tu discipulus eius sis, nos discipuli Moysi sumus*, Io. IX (27-28). Cecus a Domino illuminatus est secularis ad religionem conuersus et discipulus Christi effectus, iste quandoque suadet aliis ingressum religionis dicens : *numquid et uos uultis discipuli eius fieri sis* etc. Teneas tu uiam consiliorum, nobis sufficit uia mandatorum. Ad propositum : scola Christi inter paucos auditores habet quatuor fidelissimos reportatores euangeliorum scriptores, quorum unus est Lucas ad litteram perhibens testimonium de auditu et ideo dicta eius sunt credencie certioris quia de scole magistralis auditorio reportata : *hic est discipulus* etc., Io. XXVII (21, 24). Ipse discipulus erat Ihesu.

[b] De secundo nota quod de omni eo quod debet deduci in iudicium, |45va| securum est habere notarii publici uel tabellionis testimonium. Testimonium tabellionis fidem facit in curia. Curia iudicis est curia Christi in die iudicii. Loquimur ad mores primo, ad propositum secundo. Primo quidem, testimonium autem notarii publici cui creditur in iudicio Christi est testimonium proprie conscientie cuiuslibet nostrum. Totum enim testimonium proprie conscientie uocabuntur publice omnes defectus nostri et omnia merita nostra. Ad Rom. II (15-16) : *testimonium illis reddente conscientia ipsorum, et inuicem inter se cogitationibus accusantibus aut etiam defendantibus in die, cum iudicabit Deus occulta hominum*. Unde testimonio conscientie proprie quilibet condemnabitur etiam pena uel premiabitur in gloria. *Gloria uestra hec est testimonium conscientie uestre*, II ad Cor.

¹ crucifigerent] crucifigeretur P.

primo (1, 12). Modo non solum omnia facta nostra, uerum etiam omnia dicta et cogitationes¹ sunt in iudicio Dei discutienda, unde Gregorius² super illo uerbo (Matth. 10, 30) : *capilli capitum uestri omnes numerati sunt*, « sic Deus uias nostras considerat et gressus direxerat, ut nec minime cogitationes nec minutissima uerba que apud nos uiluerunt, eius iudicio remaneant indiscussa ». Figura ad hoc in Dan. (5, 5) ubi *apparuerunt digiti* tres scribentes mane, thecel³, phares (Dan. 5, 25), id est numerus, appensio, diuisio⁴. Scripta prima fuit latens et occulta, nullus poterat eam legere donec per Danielem fuit reseruata. *Daniel uir desideriorum* (Dan. 10, 11) significat Christum qui est finis desideriorum nostrorum. Scripta prima occulta, per Danielem postea [45vb] publica, est conscientia nostra in qua nullus potest nunc legere nisi Deus. Homo uidet ea que patent, Deus autem intuetur cor. Set in die iudicii Christo reseruante publicabitur omnibus sic quod quilibet leget ibi aperte. *Iudicium sedet et libri aperti sunt*, Dan. VII (10). Bernardus⁵ : « Conscientia est liber clausus, in die iudicii aperiendus ». Legem in qua ista tria, numerus, appensio, diuisio⁶, quia in libro conscientie apparebit numerus omnium peccatorum pondus. Hec grauitas et leuitas singulorum, hoc diuisio, hoc distractio meritorum et demeritorum. Si ergo de omni eo quod ducendum est in iudicium, securum est requirere testimonium notarii publici, tunc de omni eo quod facimus, dicimus aut cogitamus, requirere debemus testimonium conscientie nostre an autem fiat bene uel male. Gregorius⁷ super Ezechiel : « In omne quod dicitur, semper tacite recurrere debemus ad mentem et interiorem testem et iudicem requirere. Quid enim prodest si omnes laudent et conscientia accusat ? Autem quid poterit obesse si omnes derogent et sola conscientia defendat ? » Causa quare tutum est requirere testimonium et iudicium conscientie proprie est ista quia, licet absolutus et iustificatus per iudicem inferiorem condempnetur, quandoque per superiorem, tamen condempnatus et sufficienter punitus a iudice inferiori, non punitur secundo a superiori. Iudicium inferius est iudicium proprie conscientie, iudicium superius est iudicium Dei et ideo, licet ille qui iustificatur iudicio proprie conscientie, non propter hoc fit [46ra] absolutus apud Deum, *nichil mihi conscius sum set non in hoc iustus sum*, ad Co. IIII (I Cor. 4, 4), tamen iste qui iudicio conscientie sue iudicat, condempnat, punit seipsum, absolutus est apud Deum. *Si nosmet ipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur*, II (I) Cor. XV (11, 31). Ergo bene est tutum requirere conscientie sue testimonium, Ecc. XVIII (Eccli. 18, 20) : *ante iudicium interroga te ipsum*.

Loquimur ad propositum secundo de curia Dei. Curia ergo principalis est presens ecclesia de qua summo pontifici Christo est spiritualissima cura, id est Petri, omnem sollicitudinem propicientes

¹ cogitationes] cogitata P.

² *Manipulus florū*, Judex siue iudicium Y (Gregorius super illud Matthei : *capilli capitum uestri numerati sunt*) ; Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, XXI, 5 (M. Adriaen, SL 143A, 1979, p. 1071).

³ mane thecel] declarat P.

⁴ appensio diuisio] apparens diuino P.

⁵ *Manipulus florū*, Conscientia P (Hugo libro 2 de anima capitulo 9).

⁶ appensio diuisio] apparens diuino P.

⁷ *Manipulus florū*, Conscientia D (Gregorius super Ezechiel homelia 9) ; Gregorius Magnus, *Homiliae in Hiezechielem prophetam*, I, 9, 15 (M. Adriaen, SL 142, 1971, p. 131).

in eum quantum ipse est cura de nobis. Quatuor notarii huius curie sunt quatuor euangeliſte quorum Lucas est unus denominatus a luce, ut dicat ipſe illud, prima Io. V (2, 8) : *mandatum nouum scribo uobis*, quod uerum est in Christo et in uobis, quia tenebre iam transierunt et uerum lumen iam lucet, lumen inquam illud de quo (I) Io. primo (1, 8-9) : *non erat ille lux set ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux uera* etc. Unde beatus Lucas est alter Ecclesiastes, conscripsit uerba utilia et conscripsit sermones rectissimos et ueritate plenos. Hoc de secundo.

[c] De tertio, nota quod quando testes plures diligenter examinantur et inueniuntur concordes insuper omni exceptione rectiores, eorum testimonium approbari debet, reprobari non potest. Io. VIII (17) : *duorum hominum testimonium uerum est*. Testes autem producti in causa fuerunt apostoli Christi et discipuli. Io. (15, 27) : *uos testimonium perhibitis quia ab initio mecum estis. Et ecce precepi uobis predicare |46rb| populo et testificari* etc. (Act. 10, 42). Testes isti fuerunt diligenter examinati. *Alii ludibria et uerbera experti insuper et uincula et carceres* etc. (Hebr. 11, 36). Sequitur : *et hii omnes testimonio fidei probati inuenti sunt*, ad Heb. XI (39). *Inuenti sunt* etc. (Num. 3, 17) omni exceptione maiores. Ita enim erant uniti quod contra eos nec in uita nec in doctrina poterat aliquem recipi et spiritualiter beatus Lucas, de quo dicit Ieronimus¹ : « Hic neque uxorem neque filios habuit sine dicere die nocte quia Deo seruiens inuenti sunt unanimis et concordes ». Figurati per illa cherubim que olim posuit Moyses in tabernaculo testimonii : *respiciebant se mutuo uersis uultibus ad propiciatorum*, Ex. XXV (20). Cherubim plenitudo sciencie interpretatur², tabernaculum testimonii et ecclesiam Dei [significat], tabernaculum scilicet tu cherubim. Ergo tabernaculum testimonii sunt apostoli et euangeliſte protestantes fidem Christi toti ecclesie et in Actibus (1, 8) : *eritis mihi testes in Iherusalem* etc. *usque ad ultimum terre*. Isti *respiciebant se mutuo uersis uultibus ad propiciatorum* quia omnes unanimiter et concorditer perhibent Christo quia ipſe datus [est] in propiciacione pro peccatis nostris. Quia igitur sic examinati sunt inuenti concordes et omni exceptione maiores, ideo eorum testimonium est ab ecclesia approbatum. Scimus quia uerum est testimonium ubi dicitur de Luca Christus aliis dimissis, I Io. V (32) : *alius est qui testimonium perhibet de me et scio quia uerum est testimonium eius*. Et certe qui accessit eius testimonium signauit quod Deus uera Christi |46va| set heu hodie est multum aliter. Contra nos enim qui sumus testes Dei ad plebem, tot possunt excipi in doctrina et uita quod testimonium nostrum quasi nemo accipit. Quare non potest accipere laycus contra curatum suum quem uidet hominem criminosum ? *Qui predicas non furandum, furaris* etc. (Rom. 2, 21). Sunt omnes moderni optimi figurati per illa noua cherubim quem posuit Salomon in templo Domini, ubi enim respiciebant se mutuo uersis uultibus ad propiciatorum set habebant uersos uultus quibus exteriorem domum respiciebant. Cherubim, plenitudo sciencie, sunt clerici qui, quando ponuntur in templo, promouentur in ecclesia Dei, non habent uersos uultus, non est rectam intentionem ad Deum set ad mundum. Non enim ea intentione querunt promoueri in ecclesia ut

¹ *Non inueni.*

² Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 74.

seruant Deo, set ut ditentur et honorantur a mundo. Unde non dicuntur ponit in tabernaculo testimonii quia non sunt testes efficaces¹ in causa fidei. Possunt tales dicere Io. III (11) : *quod scimus loquimur et quod uidimus testamur et testimonium nostrum nemo accipit.* Hoc de tertio.

[II] De secundo principali nota quod manus tremula non potest portare uas plenum. Vas plenum liquore ueritatis et gratie quod debet undique portari Christus est, cuius nomen quilibet fidelis debet protestari. *Vidimus gloriam eius gloriamque quasi unigeniti a Patre plenum gratie et ueritatis* (Io. 1, 14). Ideo de Paulo dictum est : *uas electionis mihi est iste ut portet nomen |46vb| meum coram regem et principium etc.* in Actibus (9, 15). Ad hoc ordinat sacramentum confirmationis, ut homo non sit tremulus set audax in confidendum nomen Christi, sicut erant apostoli postquam fuerunt confirmati uirtute exalto. *Virtute magna reddant apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri Ihesu Christi* (Act. 4, 33). Set sicut manus tremula non potest portare uas plenum, sic homo tremulus et timidus non audet dicere ueritatem ad plenum, maxime in presencia regum et magnatum. Ratio est : in tremore manuum sunt duo motus oppositi², sursum et deorsum. Unde membrum non est tremulum quod non habet istum duplum motum. Spiritualiter motus non decentem est motus confusionis : quando homo timet in inferiori deprimi [est], motus sursum, appetitus honoris, quibus homo appetit super alios. Exemplum : isti duo motus ubi sunt ita reddunt hominem tremulum quod non potest portare uas plenum huius qui querit placere magnatibus, ut promoueat sursum, uel qui non timet duplices, dicit ueritatem plene et perfecte. Talis erat Ps. (118, 46) : *loquebatur, inquit, de testimoniis in conspectu regum et non confundebatur.* Talis fuit beatus Lucas qui minas iudicium non timuit nec terrene dignitatis gloriam quesivit. Unde non tremulus set intremendus nomen Christi portauit, ideo dicebatur firmus, non tremulus. Ps. (56, 8) : *paratum cor eius paratum etc., et Ecc. XXII (Eccli. 22, 19) : sicut loramentum ligneum colligatum fundamento edificii non dissoluetur.* Sic |47ra| et cor confirmatum in cogitatione consilii, fundamentum prebens firmitatem ei quod colligatum est sibi : *Christus est qui confirmabit uos usque in finem sine crimine,* I ad Cor. I (8), et prima Pe. V (10) : *et ipse perficiet confirmabit solidabitque.*

[III] De tertio principali nota quod beatus Lucas habet conditionem pronominis in duobus. Primo quia pronomen dicitur quia pro nomine ponitur, et de beato Luca dicitur in collecta³ : « Qui crucis mortificationem iugiter in suo corpore pro tui nominis amore portauit ». Secundo semper pronomen signat meram substantiam, nomen autem substantiam cum qualitate, a qualitate dicimur tales quales. De homine autem criminoso qui est male fame et mali nominis dicitur quod est talis qualis. Iste ergo habet substantiam sine qualitate qui nullam habet notam criminis infamie nec macula immundicie. Talis fuit beatus Lucas : « Fuit enim qui numquam uxorem nec filios habuit⁴ » etc., ut cum hoc autem optime congruit eius officio et eius nomini. Lux enim, a qua Lucas dicitur, habet simul

¹ efficaces] effices P.

² oppositi] optati corr. in marg. P.

³ Bruylants, n° 653, die 18 Octobris, L. Lucae evangelistae.

⁴ Non inueni.

claritatem et puritatem et hec duo libenter concomitantur se simili claritatis notitie et puritas nuptialis. Propter primum dictum est Apostolus in Luca (8, 10) : *uobis datum est nosse misterium regni Dei* etc. Propter secundum (I Pe. 2, 9) : *uos estis genus electum* etc., usque : *in admirabile lumen suum*, scilicet gratie in presenti et glorie in futuro, ad quam etc.

Testimonium Christi etc. ad robur et firmitatem maiorem unius testis multum facit quod cum sigillo proprio testatoris, cum sigillis propriis omnium [47rb] executorum habeatur testimonium tabellionis unius uel plurimum. Hoc ideo dixi quia testator in cuius morte testimonium confirmatum est, mediator Dei et hominum, Christus Ihesus qui dedit redemptionem semet ipsum *pro omnibus cuius testimonium temporibus suis*, confirmatum est, id est ad Thi. II (6). *Ipse siquidem noui testamenti mediator est*, Heb. IX (15) dicens morte ymmidente. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*, I Cor. XI (25). Executores huius testimonii sunt omnes illi qui mandant executionem, ordinationes et mandata Christi, II Cor. XV (II Reg. 15, 15) : *omnia quecumque precepit Dominus noster rex libenter exequuntur serui tui*. Set heu, hoc testimonium hodie habet multos persecutores et paucos executores, multos quidem persecutores quia non solum illi qui multum emolumentum exspectant multum legatum habent in testimonio Christi, sicut sunt Iudei et pagani, uerum etiam christiani qui sunt heredes instituti. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui enim qui sumus filii Dei. *Si autem filii heredes heredes* etc. (Rom. 8, 17). Rationem unius istarum inquam : Christiani sunt maximi persecutores testimonii seu ultime uoluntatis¹. *Hec est uoluntas Dei sanctificatio nostra*, I Thess. III (3). Vult omnes homines saluos fieri, et ideo qui sancte non uiuit², quando nullo exemplo alterius salutem impedit, persequitur testimonium Christi secundum [Bernardum], si tibi « uidetur grauiorem Christus ab eo sustinere persecutionem quare suggestione maligna, exemplo pernicioso, [scandali] occasione, [47va] ab eo auertit animas quas redemit quam a Iudeo qui sanguinem istum fudit³ ? ». Ymmo plus qui debent esse principales executores sunt maiores persecutores. Unde Bernardus⁴ : « Heu Domine Deus, isti sunt in persecutione tua primi, qui dicuntur in ecclesia tua primatum diligere et regere principatum ! Arcem Syon occupauerunt, apprehenderunt munitiones, et uniuersam deinceps libere et potestatiue tradunt incendio ciuitatem ». Non est iam dicere ut papa sit sacerdos quia nec sit populus ut sacerdos. Habet paucissimos executores quia illi qui deberent esse principales in executione imponunt aliis onus executionis, imponunt onera grauia et importabilia in humeros hominum. Digito autem suo uolunt ea mouere, in hoc ymitantes tyrannidem pharaonis et Egyptorum qui *filios Israel affligeabant omnibus* etc. (Ex. 1, 13). Hanc figuram et eius expositionem inuenies in principio super primum Sententiarum⁵. *Sume tibi librum grandem* (Is. 8, 1). Bernardus⁶ :

¹ uoluntatis] Ps. add. P.

² uiuit] et add. P.

³ Bernardus Clareuallensis, *Sermo in conuersione s. Pauli*, 2 (SBO, IV, p. 328).

⁴ Bernardus Clareuallensis, *Sermo in conuersione s. Pauli*, 3 (SBO, IV, p. 329).

⁵ Non inveni.

⁶ *Manipulus florū*, Exemplum X (Bernardus in epistola 72) ; Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 21, 3 (SBO, VIII, p. 60).

« Pulcherrimus ordo est et saluberrimus ex te, ut onus quod portandum imponis, tu portes prior, et discas qualiter oporteat aliis moderati. » Habemus ergo testimonium cuius testificationes Christus est, executores digni Christi mandata executionem mandauerunt, Leuite executorem facientes *opus in domo Domini* (Agg. 1, 14). Tales apostoli fuerunt et discipuli Christi qui custodiunt testimonia eius et precepta que de illis ad robur et firmitatem maiorem huius testimonii testimoniorum testimonio sigilli proprii cum signis et prodigiis [47vb] que Christus propria manu fecit : *opera que ego facio testimonium perhibent de me*, Io. X (5, 36). Hic homo multa signa et prodigia fecit, apposuit sigilla executorum per manus apostolorum in Actibus (5, 12) : *per manus apostolorum* etc., et cum hiis omnibus testimonia quatuor tabellionum, id est quatuor euangelistarum quarum Lucas est unus, ut dicamus ei : *testimonia tua credibilia facta sunt nimis* (Ps. 92, 5). Ricardus¹, primo libro de Trinitate : « Utinam attenderent iudei, utinam aduerterent pagani, cum qualita[te] conscientie securitate pro hac parte ac diuinum iudicium poterimus accedere a te ? Decepi sumus : nam ista tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, que nonnisi per te fieri possunt. Et certe et a summe sanctitatis uiris nobis sunt tradita, cum summa et autentica attestatione approbata, te ipso cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. » Patet ex dictis quod nouum testamentum firmitatem habet robur, tantum quia signatum sigillo proprio testamentis et sigillis propriis executorum, tantum quia confirmatum testimonio tabellionum, ideo beato Luce et aliis tribus notariis dicitur (I Cor. 1, 6) : *testimonium Christi confirmatum est in uobis.*

¹ Ricardus de Sancto Uictore, *De Trinitate*, I, 2 (PL 196, 891CD-892A).

SERMON 18

Quatrième dimanche de Carême.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 47vb-50va.

Plan :

Thème – Un cas de filiation délicat : la légitimation des enfants naturels par le mariage. Comparaison avec l'entrée dans les ordres religieux.

Division – Modalités de cette entrée.

I – Lien de proximité familiale entre frères. Détail des liens familiaux.

II – Rejet des liens du monde. Exemple de Sarah et Abraham.

III – Le chemin vers la gloire et la liberté.

F. 47vb : *Fratres non sumus filii ancille, set libere*, Gal. 4 (31).

[Thème] Modus unus legittimandi filios ancille seu liberos concubine est iste : quando pater illam quam prius habuit ancillam, quam tenuit sicut concubinam despousauit sibi et accepit in uxorem, tunc in benedictione [48ra] nupciali sub panno illo sub quo datur celestis benedictio, una cum patre et cum matre ponuntur pueri ante matrimonium procreati. Completa benedictione de cetero reputantur filii libere, non ancille legittimi, non bastardi. Recte qualis est modus legittimandi filios huius seculi, talis est modus legittimandi filios Dei. Filii enim illegitimi seu filii ancille sunt illi qui non habent ius succedendi in hereditate. *Non enim erit heres filius ancille cum filio libere*, Gal. 4 (30). Antequam Deus copularet sibi in matrimonium naturam humanam, omnes eramus filii ancille, non libere, nullum ius habentes in celestem hereditatem. Ps. (115, 16) : *o Domine, ego sum seruus tuus et filius ancille tue*. Set propter hoc Deus ancillam suam despousauit, propter hoc naturam humanam in matrimonium copulauit. Sap. 4 (8, 2) : *hanc amaui et quesui mihi sponsam assumere*, ut nos qui tamquam bastardi eramus priuati hereditate efficeremur, iuxta dictum Apostoli (Rom. 8, 17) : *si filii, et heredes : heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*. Modus ergo conueniens legittimandi filios est iste quod ponuntur sub panno, sub quo datur nupcialis benedictio. Pannus est habitus religionis ; propter hoc benedicunt uestes nouicij quando profitentur, ad denotandum quod sub pannis illis datur benedictio nupcialis per quam legitimantur filii Dei. Figuram habemus ad hoc in Gen. (27, 15), ubi legimus quod Rebecca uolens filium suum Ioseph¹ habere benedictionem paternam, *induit* [48rb] *eum uestibus Esau ualde bonis*, statim ut pater sensit uestimentorum eius fragranciam benedicens ait : *ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus* (Gen. 27, 27). Notemus singula uerba, hic fuit mentio de Rebecca, de Iacob, de ueste odorifera sub qua data est illa benedictio. De hac Rebecca dicitur alibi et in Gen. (24, 16) quod erat *uirgo pulcherrima* et incognita uiro, hec uirgo Maria que dicit de se ipsa :

¹ Ioseph] Iacob corr. a.m. in marg. P.

quomodo fiet istud quoniam uirum non cognosco (Luc. 1, 34). Subplantator interpretatur¹ Iacob, filius Rebecce est quilibet frater predictor quia a Iacob uulgariter dicuntur Iacobite et est filius Marie quadam singulari prerogatiua. Sicut enim filius Dei est filius Marie quia Maria induit eum habitu humanitatis, quia in similitudinem hominum factus et habitu indutus² ut homo, ita suo modo quilibet frater predictor potest dici filius Marie quia Maria induit nos habitu religionis nostre, ut dicatur sibi de quolibet fratre illud Io. (19, 26) : *Mulier ecce filius tuus.* De Iude dicatur fratri (Io. 19, 27) : *ecce mater tua.* Tunc ergo Rebecca *induit Iacob uestibus ualde bonis*, quando Maria apportauit fratribus habitum sue religionis, ut uacat misterio quod Ysaac uestem illam cognouit, non per uisum nec per tactum set per odorem solum. Communiter enim per odorem non probatur uestis an sit bona uel mala, set probatur uel per uisum quid indicat de speciositate coloris uel per tactum quod indicat de preciositate materie. Set hoc singulare habent uestes |48va| religiosorum quod nec Dominus nec mundus approbat in eis presumptuositatem uel curiositatem. « Fateor, dicit Augustinus³, de preciosa ueste non erubesco » etc. Iterum uestes religiosorum [non probantur] per uisum uel per tactum set per odorem, quia ubi oculo uidemus et uidimus et facto probauimus et palpauimus in seculo fuisse insolentem et male fame et mali nominis, ipso facto quod assumit habitum religionis, iam non uisui credimus nec facto acquiescimus quin presumamus de eo quod sit sancte et bone fame, mutatus in uirum alterum. Unde hoc facit habitus religionis quod ille qui ante erat male fame et mali odoris, efficiatur bone fame et boni nominis, ut de istis uestibus dicamus quod dicebat sponsus in Cant. (4, 11) de uestibus sponse sue : *odor uestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Set unde tantus odor in uestibus religionis ? Vests a se ipsis odorem non habent. Si ergo odorifera que in eis fuerunt inuoluta, ad quorum absenciam adhuc diu retinent et reseruant odorem? Unde ergo odor ille est ne propter sanctitatem uite quam honestatem morum, que sunt modo in religione, uolo dicere, set propter preciosa aromata que fuerunt antiquitus inuoluta, sicut fuit beatus Benedictus, Jeronimus, beatus Dominicus et alii patres nostri, quorum *memoria in benedictione est* (Ecc. 45, 1). Hic est bonus odor et fama bona eorum adhuc manet in memoria hominum, ut cuilibet dicamus quod quia unguentum *effusum nomen tuum* (Cant. 1, 2), id est fama tua, ideo *in odore unguentorum tuorum currimus* (Cant. 1, 3), quia |48vb| talis fama de nobis curat, non propter meritum nostre sanctitatis set propter memoriam nostre odorifere bonitatis.

[Division] Patet ex dictis quod uestis odorifera qua Rebecca Iacob induit est habitus ordinis, quem Maria nobis attulit ; quod ergo dicitur in figura, quod statim ut pater sensit uestimentorum fragranciam benedicens ait : *ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus* (Gen. 27, 27). Hoc figuratiue designat quod pannus sub quo legitimantur filii Dei, ut iam non sint ancille filii set libere, est habitus religionis, et ideo Apostolus loquens fratribus sub istis pannis positis

¹ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 67.

² indutus] inuentus P.

³ Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 356, 1 (C. Lambot, *Stromata Patristica et Medieualia*, 1, 1950, p. 141).

dicit : *fratres non sumus ancille* etc. Ubi apparet quod sumendo religionis habitum, primo contrahimus nexum amorosum germane propinquitatis, quia efficimur *fratres* ; secundo contempnimus seu abicimus iugum onerosum mundane captiuitatis, *non sumus filii ancille* ; tertio habuimus regnum gloriosum in successione hereditatis, *sumus filii libere*.

[I] De primo nota quod aliter computantur gradus propinquitatis in linea ascendentium, aliter in linea descendenter. In linea ascendentium primus gradus [est] filii ad patrem, secundus ad auunculum, tertius ad proauum et sic ascendendo. In linea descendenter primus gradus est patris ad filium, secundus patris ad nepotem, tertius ad pronepotem et sic descendendo, ita quod linee iste non sunt realiter duo set tantum unum secundum alium et alium modum computandi uariata. Set in linea collateralium primus gradus est duorum |49ra| fratrum, ita quod linea differt ab aliis quia linea ascendentium et descendenter est semper imparium et inequalium personarum, que se habent secundum superius et inferius. Set linea collateralium est semper parium et equalium, spiritualiter linea collateralium uno modo est natura et per oppositum linea ascendentium et descendenter est fortuna ; alio modo linea ascendentium est superbia cupiditatis, linea collateralium firma caritas. Utrumque declaro primo quod linea collateralium sic natura patet : inter fratres eiusdem matris quam est ex parte ista, sola linea collateralium habet locum nec est inter eos disparitas quantum est ex parte matris, quin omnes eque sint nobiles uel eque rustici. Natura fecit nos omnes filios eiusdem matris et per consequens fratres uterinos. *Fratres enim sumus*, in Gen. (42, 13). Mater communis omnium terra est, de cuius utero omnes exiuimus et cuius gremio omnes nutrimur, in Ecclesiastico (40, 1) : *occupatio magna creata hominibus* etc. A die exitus de uentre matris ipsorum usque in diem sepulture in matrem omnium, si mater communis omnium, a qua trahimus carnis originem, est terra, cum unus non sit de nobiliori matre natus, de nobiliori terra formatus quam alius, unus non debet super alium de nobilitate parentum carnalium gloriari. *Omnes homines de sole et ex terra unde creatus est Adam*, Ecc. 33 (10). Apostolus, primo ad Cor. I (7, 20) : *uidete uocationem uestram, fratres*, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, quasi dicat : nobilitas parentum |49rb| carnalium nichil, ut non glorietur omnis caro in contrario Dei. Christusmet ex parte matris ponit se in linea collateralium, Ecc. (Sap. 7, 1) : *ego quidem mortalis homo sum de genere terreni illius qui primo factus est et in nomine illius figuratus sum caro*. Heb. V (2, 11) : *non confunditur fratres uocare eos*. In Gen. (37, 27) : *caro enim et frater noster est*. De hac materia diffusius habetur in illo sermone¹ *Quicumque spiritu Dei aguntur*. Ecce linea ascendentium et descendenter est fortuna que illos quos natura genuit pares facit et impares, linea ista ascendentium et descendenter est eorumdem realiter aliter tamen et aliter computator, quia in linea fortune est modo ascensus, modo descensus. Et illi quidem qui nunc ascendunt usque ad celos descendunt postea usque ad abyssos, set alterius reputationis sunt in ascensum, alterius in descensum. Alio modo linea ascendentium et descendenter, que realiter est una et est imparium, est superba cupiditas. Superbus enim non uult

¹ Sermon 63 bis.

parem habere, uult super omnes ascendere, set est realiter idem [aliis]. Qui¹ ascendit per superbiam finaliter descendet ad miseriam. Nam *omnis qui se exaltat humiliabitur* (Luc. 14, 11) et e contrario, quia qui descendit per humilitates nunc tandem ascendet ad gloriam, quia *qui se humiliat exaltabitur* (Luc. 14, 11). Ita dicit Apostolus, Eph. III (9) : *quod autem ascendit quid est, nisi quia descendit.* Per oppositum linea collateralium est firma caritas. Homines enim quecumque fortuna facit eos pares. *Caritate fraternitatis inuicem diligentes* |49va|, Ro. 12 (10). Ratio est quia filii eiusdem patris et eiusdem matris ex utroque latere fratres non sunt, ut ostensum fuit : fecit ex utroque latere fratres nos filios, non filios eiusdem matris, caritas fecit nos filios eiusdem patris. *Videte qualem caritatem dedit nobis ut filii Dei nominemur et simus*, I Io. III (1). Ergo linea collateralium que fecit nos pares et fratres est caritas. Modo quicumque sit inter scolares, inter nos tamen religiosos qui sumus fratres, non debet habere locum linea ascendentium et descendantium que est superba cupiditas, set solum linea collateralium, que est firma caritas Heb. 13 (1) : *caritas fraternitatis maneat in uobis.* In Gen. (13, 8) : *ne queso sit iurgium inter me et te fratres et sumus.* Hoc est quod dixi, quia contraximus iugum amorosum germane propinquitatis, quia sumus confratres. Si est ita quod linea ascendentium et descendantium non habet locum, tunc certe diuites, potentes, nobiles, quando fiunt fratres, quando religionem intrant, de cetero genus suum computare non debent secundum lineam ascendentium et descendantium, non debent reputare nobilitatem parentum carnalium nec debent de hoc gloriari, set de societate pauperum fratrum. Augustinus², in Speculo : « Illi qui aliquid uidebantur esse in seculo non habent fastidio fratres suos qui ad illam sanctam societatem ex paupertate uenerant. Magis autem [studeant] non de parentum diuitum dignitate set de pauperum fratrum societate gloriari ». Utinam sic |49vb| teneamus nexus amorosum germane propinquitatis, quod nobis ualeat dici illud, prima Thess. III (9-10) : *de caritate fraternitatis non necesse habemus uobis. Ipse enim omnia autem didicistis*³ *ut diligatis inuicem et enim illud facitis in omnes fratres.*

[III] De secundo nota quod sapiens, in Prou. (30, 21), dicit quod *tria mouentur terra et quartum non potest sustinere.* Illud *quartum* nominat per ancillam cum fuerit heres domine sue. Si sapiens reputat iugum graue quod ancilla sit heres domine sue, multum est grauius iugum cum ancilla imperat domine sue. Modo in homine ratio debet esse domina, caro uel sensualitas ancilla : tunc anima subicitur iugo grauissimo peccati, quando sensualitas imperat rationi. *Iugum graue super filios Adam*, in Ecclesiastico (40, 1). Vis excurrere iugum illud ? Eice ancillam et filium, repelle sensualitatem et motum brutalem eius. Figura in Genesi : quamdiu Abraham et Saray matrimonio coniuncti steterunt sub nominibus istis, ita quod nomen Saray superauit nomen Abraham, numquam Abraham potuit habere filium de libera set solum de ancilla, que propter hoc despexit dominam suam, set quando mutatum est nomen utriusque, ita quod dictus est Abraham et Saray uocata est Sara, tunc

¹ qui] ille idem qui add. P.

² *Manipulus florum*, Religio C (Augustinus de communi uite et regula clericorum) ; Augustinus Hipponensis, *Praeceptum*, I, 7 (L. Verheijen, I, 1967, p. 419).

³ didicistis] desit istis P.

natus est ei filius libere. Unde dictum est sibi Saray (Gen. 17, 15) : *uxorem tuam non uocabis ultra Saray set Saram et ex ea dabo tibi liberum cui benedicturus sum.* Abraham et Saray matrimonio coniuncti sunt spiritus et caro, |50ra| sensualitas et ratio. Abraham pater uidens¹ est ratio uel intellectus cognoscens, Saray [lignum] meum uel carbo meus est caro uel sensualitas que² frequenter obnubilat rationem et ad modum carbonis incendit natura incentiuo libidinis et cupiditatis³. *Carbones susensi sunt ab eo*, Ps. (17, 9). Quamdui ergo Saray superat Abraham, sensualitas superat rationem ; numquam nascitur filius libere set ancille, qui enim de ancilla secundum carnem natus est, set quando resecatur a Saray sillaba ‘y’, idem quod ire, imperatiuo modo, quando resecatur et tollitur a sensualitate proprium imperium, ita quod Abraham superat Saram et ratio imperat et dominatur sensualitati, tunc filii sunt liberi. Hoc autem fit maxime in perfectione religionis, ubi per uotum obedientie tollitur a uoluntate proprium imperium, per uotum castitatis restringuntur motus sensualitatis, per uotum paupertatis tollitur diuitum terrene proprietatis et sic abicitur iugum onerosum mundane cupiditatis. *Non sumus filii ancille.* Ibidem nos promissionis filii sumus. Filii promissionis sunt qui predictam in professione promittunt.

[III] De tertio nota quod fugitiui banniti de toto imperio non morantur ibi tute in angulo loco uel regno dominio imperatoris subiecto, set tute morantur in regno Francorum, quia illud regnum non est imperio subiectum. Spiritualiter omne regnum aliud a regno beatorum abusive dicitur regnum Francorum. *Sola enim illa que sursum est Iherusalem libera est*, Gal. IIII (26). Breuiter, totus |50rb| mundus est de imperio, uulgariter dicitur in gallico de malo puero : il n'e pas de reaimie, il est de l'empire. Imperator cuius dominio subsunt omnes mali est dyabolus. Ipse enim est rex super omnes filios superbie. Totus ergo mundus est de imperio, quia mundus uadit continue peiorando. *Totus mundus in maligno positus est*, I Io. I (5, 19). Fugitiui banniti et electi de imperio sunt religiosi qui fugiunt de mundo et qui secundum ueritatem sunt banniti et abiecti de mundo : *tamquam purgamenta huius mundi facti sumus* etc., (I) Cor. IIII (13). Tales non debent esse de imperio, non debent detineri in mundo set in regno Francorum, ut dicant cum Apostolo (Phil. 3, 20) : *nostra conuersatio in celis est.* Illi qui sic fugitiui et banniti sunt de imperio, habent locum tutum et mansionem in regno (Luc. 6, 22-23) : *beati eritis cum uos oderint homines et uos separauerunt et eiecerunt nomen uestrum tamquam malum* etc. Sequitur : *merces uestra multa est in celo.* Ideo dixi quod acquerimus regnum gloriosum in successione hereditatis. Efficimur enim *filii libere que sursum est* etc. Sequitur : *si autem filius et heres Domini.* Quod autem per ingressum religionis efficiamur filii libere et exeamus imperium patet sic : persona conditionis libere, quando habitat locum amortizatum etc. Quere in sermone⁴ *Quicumque spiritu* etc. et addas quomodo locus amortizatus est religionis status, unde qui religionem proficitur moritur. Conclude per illud, ad [Rom.] VI (22-21) : *liberati sunt a peccato,*

¹ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 61.

² que] quo P.

³ cupiditatis] cupiditas P.

⁴ Sermon 63 bis.

serui sunt facti Deo, habetis [50va] fructum nostrum in sanctificationem, finem uero uitam eternam.

Ad quam nos perducat.

SERMON 19

Dimanche de la Passion.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 50va-54ra ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 181r.

Plan :

Thème – L’âme humaine est comparée à une image ou au contraire à une tablette vierge.

Division – Métaphore de l’image et du peintre appliquée au Christ.

I – La couleur éclatante du sang du Christ.

Division 2 (Apoc. 22, 14) : les vêtements du Christ sont lavés après sa crucifixion. Caractéristiques du sang du Christ.

- a. L’humeur qui lave le péché
- b. La couleur qui réveille notre paresse
- c. La douceur qui apaise la douleur
- d. La valeur qui sauve l’homme

F. 50va : *Sanguis Christi emundabit scientiam nostram ab operibus mortuis*, ad Heb. IX (14).

[Thème] Ille sapiens mundi Philosophus¹ dicit in libro suo de Anima quod anima in persona sui creatione est « sicut tabula rasa in qua nichil depictum est », et licet huic sententie² uideatur contrarium quod in Genesi dicitur quod a principio Deus in anima humana ymaginem pulcherrimam depinxit ei suam propriam similitudinem imprimendo, quando dixit : *faciamus hominem ad ymaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1, 26), uerum tamen quia per peccatum originale ymago ista cito fuit abolita, non solum in pereunte primo set in tota posteritate sua, unde in Gen. (6, 7) dicit Deus : *delebo hominem quem creauit a facie terre ab homine usque ad animantia*, idcirco adhuc stat in firmitate sua et ueritate illud dictum philosophi quod anima est sicut tabula etc. Iterum licet ymago ista reformata fuerit et repicta in tabula anime nostre, in sacramento baptismi fuit tamen in multis, iterum frequenter abolita per actuale peccatum et ideo mater ecclesia uolens ad magnum ornatum suum in tabula nostre conscientie istam speciosam ymaginem reformare, facit in isto tempore. Quartum aliud modum boni pictoris se habuit. Bonus pictor uolens in tabula aliquam pulcram ymaginem depingere, non statim in principio utitur preciosis et uiuis coloribus qui debent ad ultimatam perfectionem ymaginis facere set primo cum quibusdam coloribus mortuis, [50vb] hoc est modice apparentie et modici ualoris, singula membra sue ymaginis lineat et figurat ; quo facto uiuos et ueros colores superinducit, forsitan argenteos uel aureos quales ymago requirit. Unde colores primi non ponebantur ut remanerent in ymagine iam perfecta, quin ymmo superuenientibus uiuis et ueris coloribus, quin colores mortui penitus abolentur.

¹ Aristote, *De anima*, III, 3, 4 (*Aristotelis opera*, III, 1831, p. 223).

² sententie] finem P.

[Division] Loquendo spiritualiter a principio quadragesimale usque modo quotquot pictores fuerunt in ecclesia, siue predicatores, siue confessores, omnes usi sunt coloribus quibusdam mortuis, nigris, uilibus et obscuris ad partes nostre ymaginis lineandum que secundum doctores sunt tres, memoria et intellectum et uoluntas. Ad hoc enim omnes laborauerunt ut inquirerent uilitatem, nigretudinem et obscuritatem peccati, primo memorie per † dearticulatam cuius etiam peccati recordationem ; secundo intellectione per actualem tante uilitatis considerationem ; tertio uoluntati ad magnam displicationem et testationem. Set modo uenit hora et nunc est enim quod oportet uti ueris uiuis coloribus ad tabulam nostre conscientie depingendam, et pro Deo quomodo nonne argenteis uel aureis ? Certe non, Petrus dicit in canonica sua (I Pe. 1, 18-19) : *non corruptilibus auro uel argento redempti estis de uana uestra conuersatione paterne traditionis set pretioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Christi Ihesu*, quia ille sit uerus et purus color quo isto tempore debemus partes nostre ymaginis depinguere. Figuram habemus [51ra] satis propriam in Ex. (10) ubi precepit Dominus filius Israel quod sumerent de sanguine agni uel edi qui quarto decima die ad uesperum, scilicet in Paschate, ymmolari debebat, per quem figurabatur ille qui Pascha nostrum ymmolatus est Christus, cuius ymmolationis sollempnitate ad litteram incipere debemus XIII die a die illa, scilicet sabbato sancte Pasche ad uesperum. Et dictum est illis¹ quod de sanguine illo ponerent in tribus locis, scilicet super luminare domus et super utrumque postem per quem, secundum glosas uel sanctos, intelligimur tres partes ymaginis supradicte, in signum quod per Passionem Christi et sui sanguinis effusionem debemus ponere uel depingere, primo in membra per frequentem meditationem, secundo in intellectu per firmam fidei adhesionem, tertio in uoluntate per feruentissimam durationem. Unde colores mortui supradicte non fuerunt in tabula conscientie nostre depicti ut ipsi remanerent finaliter, quia superueniente isto uiuo et uero colore a facie Dei tollitur, abolentur sicut sonant uerba expresse thematis preassupta : *sanguis Christi* etc. Et uidete quod mater ecclesia per manum istius egregii et excellentis rectoris Pauli in epistula sua ad Hebreos, primo monstrat nobis hodie colorem uiuentissimum ad nostram ymaginem depingendum, *sanguis Christi*. Secundo per Amos nobis impresserat colorem obscurissimum ; per hunc finaliter abolendum *emundabit ab operibus mortuis* (Hebr. 9, 14). [51rb] Tertio ostendit locum uel substantiam habilissimam ad utrumque colorem recipiendum, *conscienciam nostram*, que est sicut tabula rasa, ut dictum est.

[I] Viuacitatem et preciositatem et efficaciam coloris ostendit Apostolus in epistula ad Hebreos (Hebr. 9, 13), arguens quasi per locum a minori : *si, inquit, sanguis hircorum et taurorum et cinis uitulorum aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*, quanto magis sanguis Christi ! Optime arguit quia, sicut ipsem dicit alibi in antiqua lege (I Cor. 10, 11), *omnia in figura contingebant illis*. Secundum enim ueritatem synagoga [utebatur] omnibus etiam illis coloribus, quando sanguine hircorum siue taurorum siue agnorum utebatur solum ad figurandum uerum et pretiosum sanguinem Ihesu Christi, ubi appetit quod adueniente ueritate figura discessit. Iam autem

¹ illis] illisque P.

dictum est quod non ponuntur ita pretiosi et uiui colores ad figurandum ymaginem sicut ad eam perficiendum. Bene ergo arguit : *si sanguis* etc. quasi dicat : multo magis et certe multo magis quia etsi ille sanguis ualebat ad aliqualem emundationem carnis, numquam tamen ad perfectam sanctificationem cordis, sic quod per ipsum posset aperiri ianua regni celestis, quod tamen fit per sanguinem Christi, sicut testatur Io. in Apoc. d (22, 14) : *bene qui ianuas suas sanguine operiri ut sit potestas eorum in ligno uite et per portas intrent in ciuitatem.* Et nominantur hic quatuor conditions sanguinis que excellenter fuerunt in sanguine |51va| Christi. In sanguine enim est humor, color, dulcor et ualor. Ecce in sanguine Christi est humor omnis immunditie purgatiuus, *beati qui lauant stolas.* Est color nostre pigratie excitatiuus, *ut sit potestas eorum,* dulcor omnis puncture seu mestitie mitigatiuus, *in ligno uite,* ualor nostre exultationis et miserie releuatiuus, *et per portam intrent ciuitatem.*

[a] Circa primum nota quod prima facie uidetur impossibile quod sanguis lauaret et dealbaret quia quantumcumque esset pannus albus, si inquieretur in sanguine, deturparetur statim et tamen si aduertamus diligenter, etiam per naturam potest hoc fieri, uirtute enim coloris naturalis in corpore animalis exeuntis. Sanguis primo rubeus conuertitur in lac¹ quia, quando album est, dealbare potest et si hoc potest fieri uirtute coloris naturalis in corpore animalis, quanto magis potuit hoc fieri uirtute coloris supernaturalis in Christo exeuntis, ut omnium animalium incomparabiliter excedentis, quia *maiorem* caritatem ac *dilectionem* etc. (Io. 15, 13). Iste est calor dilectionis et amoris qui dedit sanguinem Christi uirtute nostrorum criminum maculas abluenta. Iste est modus quem ponit Io. in Apoc. (1, 5) : *dilexit nos et lauauit nos a peccatis nostris in sanguine suo,* et alibi (7, 14) : *lauauerunt stolas suas in sanguine agni.* Set adhuc restat magnum dubium ubique et loquitur in preterito : *dilexit nos et lauauit,* etsi sanguis Christi solum pro tempore quo effusus fuit ualuerit ad peccatorum |51vb| ablutionem et non ualeat modo. Quomodo enim hoc est possibile quod sanguis ille qui iam a mille et CC annis effusus est, ita diu humorem suum seruauerit et adhuc peccatores modernos lauare possit, quia sensibiliter uidemus quod sanguis a corpore animalis effusus et in uase terreo receptus, tunc cito coagulatur, perdit humorem. Illud dubium soluit optime Io. II in canonica sua. Ipse, inquit, prior dilexit nos et misit filium propiciatorem pro peccatis nostris et concludit (I Io. 4, 19) : *nos ergo diligamus Dominum qui ipse prior dilexit nos.* Optime respondet. Consideremus quid est illud quod seruat humorem sanguinis, dum est in corpore animalis, quid preseruat ipsum ne coaguletur. Calor naturalis est causa, ergo quare ita cito coagulatur quando in uase terreo recipitur ? Quia non inuenit sibi eumdem calorem quem inueniebat in corpore animalis. Unde si reciperetur in uase carneo in quo eundem calorem penitus inueniret, non uideo iam quare coagularetur. Vas in quo debemus sanguinem Christi recipere est cor nostrum, ad litteram ad modum uasis factum, superius scilicet amplum et latum et inferius strictum et clausum. Illud est uas de quo scribitur in libro Sapientie (Eccli. 43, 2) : *uas admirabile opus excelsi.* Unde bene diceretur *uas admirabile* quod non posset aliquam immunditiam recipere quin statim subueteretur, ut sic effunderetur quicquid antea esset ibi positum.

¹ lac] quod add. P.

Tale uas est cor humanum quia cum |52ra| cedit in eo immunditia peccati mortalis, statim subuertitur, utpote auertitur a Deo et ad creaturam conuertitur. Et ideo quantumcumque esset¹ liquore gratie plenum, necessario totum effunditur. Vis ergo sanguinem Christi in uase tuo reseruare ne coaguletur, ut sic medicante huius humore possis omne peccatum abluere, ut omni tempore uestimenta tua sint candida ? Facias iuxta consilium Iohannis quod in uase cordis tui sit consimilis calor amoris et dilectionis qui fuit in eo quo sanguis ille primo extractus est. Hoc est quod dicit : *diligamus* etc. quasi dicat : non respiciamus istum sanguinem in uase terreo, frigido et sicto sine ferore caritatis, sine humore compassionis uel deuotionis set in uase carneo. Ita dicitur in Eze. (36, 25) : *mundabimini ab omnibus inquinamentis*. Et statim subdit modum (36, 26) : *auferatur cor lapideum de carne nostra, dabo uobis cor carneum*. Set heu hodie proponitur grauis queremonia contra quemlibet nostrum in Gen. (4, 10) : *ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*, conquerendo scilicet quod eum in uase terreo recepisti.

[b] Circa secundum nota quod sicut sciunt isti medici, cum generatio sanguinis inchoetur in epate, patitur tamen circa cor, et ideo licet sanguis sit generalis amicus totius nature, est tamen spiritualis et maximus amicus ipsius cordis, quod est principale membrum in natura, et hoc est quod inter omnia que habent mouere et excitare potestatem cordis, unum sumnum et precipuum est effusio sanguinis et maxime sanguis fratris uel |52rb| amici alicuius intimi. Set spiritualiter adhuc plus in casu illo ubi frater pungnaret pro hereditate fratri reddenda, si uideret ille effusionem sanguinis fratris sui, illud summe moueret cor suum et animaret ad pungandum uolenter et uindicandum sanguinem fratris sui, et ecce ille cuius sanguis effusus est pro hereditate nostra restituenda. *Caro et frater noster est* in Gen. (37, 27), ubi ergo aliquis ita pauidus qui non debeat excitari, qui non debeat animari ad uindicandum sanguinem fratris nostri, et precipue tempore isto modo in presenti *sanguis eius exquiritur* in Gen. (42, 22). Nonne legimus in libro (I) Mach. (6, 34) de quibusdam brutis que uocantur elephanti quod *ostenderunt elephantis sanguinem uue et mori acuendum eos ad prelum* ; quod hic per istos elephantes, qui sunt animalia ualde fortia et tamen mirabiliter lenta et pigra, possunt homines cuiuscumque status generaliter intelligi quia communiter lenti sumus ad bonum, fortes et prauia ad malum etc. Iuxta illud (Is. 5, 22) : *ue qui potentes estis ad bibendum uinum* etc. Propter hoc ostendit mater ecclesia omnibus *sanguinem uue* presse isto tempore in torculari cruentis ad acuendum et animandum eos ad bonum tantum. Spirituali quadam ratione per istos elephantos possumus intelligere clericos, precipue ad gradum uel statum aliquem in ecclesia promotos, et hoc si consideremus ea que hic de elephantibus² leguntur : dicit enim quod unicuique bestie assistebant multi uiri qui *quocumque ibat, bestia ibant* |52va| *nec discedebant ab ea* (I Mac. 6, 36). Etiam unaqueque bestia turrim ligneam firmam portabat ad deffensionem eorum qui bestie assistebant. Per istas bestias congrue intelliguntur quicumque prelati siue curati uel quicumque modo aliis prefecti. Cuilibet enim

¹ esset] anna add. P.

² elephantibus] elephantis P.

taliū assistunt multi uiri qui quocumque uadunt, quia secundum ueritatem populares et subditū communiter secuntur mores et modum uiuendi superiorum suorum ; secundum enim iudicem populi sic et uis eius. Et Gregorius¹ : « Facta prelatorum leuiter trahuntur a subditis in exemplum. » Unde caueant sibi aliorum rectores quia in Gen. (9, 5) dicitur et dirigitur uerbum ad populares : *sanguinem animarum uestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum*, ad litteram ipsi respondebant pro eis. Bernardus² dicit : « Si quis de populo deuiat, solus parit ; uerum principis et error multos inuoluit et tantis obest quantis ipse precesset. » Illi ergo sunt bestie quorum cuilibet incubit ex officio turrim illam firmissimam sustinere et portare, de qua dicitur in Prou. (18, 10) : *turris fortissima nomen Domini ad eam currit iustus et saluabitur*. Istis ostendit Deus quodam spirituali modo sanguinem uepresse in torculari cruentis, quia ipsis spiritualiter commiserat dispensationem sui sanguinis preciosi et ad quid ? Certe ad acuendum eos in preliū ; ipsi enim sunt pugiles fidei quorum cuilibet dicitur (I Reg. 18, 17) : *esto uir fortis et preliare bella Domini*. Set heu hodie illi sunt inter alios magis tardi ad pugnandum, magis prauī ad quiescendum. Illi qui deberent hodie turrim ecclesie |52vb| sustinere sunt illi qui magis deprimunt eam et permittunt cadere. Ratio est quia omnes dicunt hodie cum Ps. (121, 7) : *fiat pax in uirtute tua et habundantia in turribus tuis*. Hodie non querunt aliud nisi pacem et abundantiam. Dicunt primo *fiat pax* ad litteram. De natura elephantorum³ legitur quod quando fessi sunt et uolunt quiescere et dormire, quod propter magnitudinem corporis sui non possunt super terram accumbere, uenient ad aliquam arborem ut appodient se ibi ut dormiant. Tunc prudens uenator, uolens unam talem bestiam capere, occulte cauat arborem ad quam elephas ueniens et ibi se appodiāns pondere sui corporis arborem frangit et frangendo subito cadit. A quo casu faciliter non surgit. Quando hodie clerici aliquantulum fessi sunt, utpote laborauerunt in studio uel seruicio alicuius magni uiri, multum desiderant quiescere. Tamen propter magnitudinem sui status, non uidetur eis quod sufficiat terra nuda, terra quam habent de patrimonio proprio, tendunt uenire ad arborem crucis, hanelant quantum possunt ad patrimonium crucifixi et pro Deo ad quid ? Nonne ad laborandum, nonne ad fructum arboris faciendum ? Certe non, set ad quiescendum uel lucrum proprium querendum ut *fiat pax et habundantia* ; ad quiescendum primo, dicentes cum illo diuite : *anima mea etc. comedē, bibe, quiesce* (Luc. 12, 19) et miseri non aduertunt quod *iam securis posita est ad radicem arboris* (Mt. 3, 10), non cogitant quod statim dictum est illi |53ra| *stulte* etc. ad litteram quamcumque. Nunc credunt melius esse appodiati et in maiori quiete subito corruunt, subito moriuntur et caueant sibi et quanto status altior, tanto casus grauior. Dicunt ergo primo : *fiat pax*. Iterum non uenient ad fructum faciendum set ad lucrum proprium querendum, ut *fiat habundantia* etc. Hodie uerificatum est decretum : *qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (I Tim. 3, 1) ut non possit set ut prosit. Puto quod hodie deberet sic corrigi : qui episcopatum desiderat, bonum opus

¹ *Non inueni.*

² Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 127, 1 (SBO, VII, p. 320).

³ Exemplum 5.

desiderat, non ut proposit set ut presit. Et pro certo si considereremus unde illa habundantia, que est hodie in turri ecclesie, est causa quare illi qui deberent turrim fidei portare, structuram ecclesie sustinere, magis deprimunt eam et permittunt cadere. Turris enim uel archa lignea que, quando uacua est, faciliter portatur ab aliquo uel aliquibus, posset bene tantum repuli auro et argento uel aliis ponderosis quod omnino portari non posset. Ad litteram tempore primitiae ecclesie non erat enim habundantia set penuria bonorum temporalium, tunc facile portabatur fides, diuulgabatur et crescebat mirabiliter. Set modo quando facta est habundantia, non sic. Modo uerificatum est illud quod scribitur, secundo Reg. VIII (15, 24) : *uniuersi Leuite portantes archam Domini deposuerunt eam*, glosa¹ : id est permiserunt eam cadere. Et quare ? Ratio statim assignatur in sequenti libro Paralip. 2 (24, 10) ubi dicitur quod *contulerunt in archam Domini atque miserunt* |53rb| *ut impleretur* ; et ita uidete quod Leuite antiqui legis habuerunt duplex officium. Unum fuit excoriare² pelles animalium, aliud extrahere³ archam federis, et illud erat nobilis. Et quid fecerunt Leuite nostri moderni ? Assumpserunt uilius officium et nobilis dimiserunt. Hodie enim sunt omnes excoriatores. Ad litteram, Parysius non inuenirentur hodie tot excoriatores sicut in curia unius prelati etiam, incipiendo capite, primo prelatus ipse, postea quot sunt consiliarii, quot cubicularii, quot accessores, ymmo plus iam porte prelatorum et ostia camerorum ita stricta sunt quod nullus potest habere ingressum nisi primo excorietur ; miseri garciones ostiorum etiam sunt excoriatores. Set nobilis officium [est] portare archam quam omnes hodie dimiserunt. Causa est quia nimis replent eam auro et argento et ideo oportet quod sub onere deficiant. Istis ergo ut actuantur ad preliandum uel laborandum quia nimis praui sunt ad quietem, ut fortiter ad turrim fidei et onus ecclesie subportandum ne deficiant sub onere, ostendit Apostolus sanguinem uee presse, ad Heb. XII (3) : *Recogitate eum qui talem aduersum semet ipsos pro nobis sustinuit contradictionem ut non fatigemur animis uestris deficientes*. Non dum enim usque ad sanguinem restitistis, omnibus enim quotquot Passionem Christi in memoria receperunt, dedit potestatem filios Dei fieri, hoc de secundo : *ut potestas eorum*.

[c] Tertio in sanguine |53va| Christi est dulcor omnis puncture mitigatiuus, et hoc innuitur : *in ligno uite*. De ligno uite quod plantatum est in medio paradysi dicunt doctores quod quamdiu homo de fructu illius ligni comedisset et in innocentia perstitisset, nullam lesionem sensisset illarum penalitatum quas modo sentimus sicut nunc famem, nec sitim nec fletus nec calorem dico afflictuam. Set multum facit ad terrorem nostrum qui sumus clerici, illud quod dicitur in Gen. (2, 9) quod statim cum humo gustauit de ligno *sciencie boni et mali*, tunc etiam primo incepit istas penalitates subtiliter percipere, ymmo quod plus debet nos terrere : statim ponitus est cherubim, qui interpretatur plenitudo⁴ sciencie, *ad custodiendum uiam ligni uite* (Gen. 3, 24). Arbor ligni uite est arbor crucis in cuius ramis fructus ille dulcissimus qui omnem penalitatem, omnem puncturam imperceptibilem facit, ymmo plus

¹ Non inveni.

² excoriare] extrahere *P.*

³ extrahere] excoriare *P.*

⁴ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 74.

omnem amaritudinem in dulcedinem conuertit corpus et sanguinem preciosissimum Ihesu Christi, quia enim dulcedinem huius fructus gustauerunt, quia illo sanguine inebriati erant sancti martires patres nostri, omne genusque tormentorum non solum patienter, ymmo letanter sustinuerunt et tantum quod de spirituali gaudio sustinebant. *Ibant apostoli gaudentes* etc. (Act. 5, 41). Set quid est hodie ? Statim cum gustauerunt hodie aliqui de ligno sciencie, boni et mali cum efficiuntur scientes ut clerici, incipiunt istas penalitates subtiliter [et] sensibiliter percipere. Ita efficiuntur delicati quod non possunt puncturas et austeritates penitentie tolerare et tamen illud est necessarium cui uult ad fructum illius arboris pertingere. Arbor enim est nimis alta cuius fructus ita soli diuinitatis propinquus quod etiam subierat coniunctus in unitate suppositi. Ideo arbor est nimis aspera et precipue asperus fuit qui primus eam ascendit, qui ascendendo uestem suam totam lacerauit, manus et pedes totos excoriauit, ymmo totum corpus quod uix remansit aliquid integrum. Qui ergo uult corio suo parcere, non potest ad fructum illius arboris pertingere. Modo inter omnia membra que sunt in animali, illud quod est difficilis ad excoriandum caput est in quo magis uigent sensus animales. Vere inter alios illi qui hodie minus permittunt se excoriari, clerici sunt qui super aliorum capitanei et in quibus magis uiget sensus et discretio, illis interdictus est usus ligni uite, in Gen. (9, 3) : *omne quod mouetur et uiuit erit uobis in cibum*, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Bene utuntur ipsi carnibus, interdictus est eis et utinam hoc solum esset, set magis dolendum est quod cherubim qui interpretatur plenitudo sciencie, ponitus *ad custodiendum uiam ligni uite* (Gen. 3, 24), utinam solum sibi et non aliis malo exemplo suo prohiberet introitum paradysi. Sic ergo habemus *in ligno uite dulcorem* etc. Figura ad hoc in Ex. (15, 22) quod *non poterant populus bibere aquas* |54ra| *eo quod essent amare* et ideo ostendit Dominus Moysi lignum quod cum misisset in aquam, in dulcedinem uerse sunt.

[d] Quarto in sanguine Christi est ualor uestre exultationis et miserie releuatiuus, et per portas intrant ciuitatem. Nota quomodo expulsi sumus a ciuitate paradysi sicut lepra, et ideo illud solum fuit sufficiens pretium nostre redemptionis. Non est autem remedium sufficiens contra lepram nisi quod fiat sufficiens balneum in sanguine pueri innocentis et ille solus est qui dicit (Ps. 25, 11) : *ego autem in innocentia mea ingressus sum*. Nota totum sicut habes in sermone illo. *Propter hoc Ihesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est*, usque ibi : *improperium eius portantes*, ad Heb. ult. (13, 12-13). Nota etiam supra quare peccatum originale propter quod expulsi fuimus a ciuitate celesti, comparatur lepre et fineas sermonem sicut alibi.

SERMON 20

Résurrection.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 54ra-58vb ; Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. 181v-182r.

Plan :

Prothème – La générosité divine.

Thème – Le péché mortifère a touché la chair de l'homme. C'est la Résurrection qui sauve l'homme.

Division – Qu'offre la Résurrection ?

I – Le renouveau. Comparaison avec le cycle de la nature.

Division 2 (Phil. 4, 10) : le renouveau apporté par le Christ :

- a. La sérénité dans la joie
- b. La douceur
- c. L'amour et la force face à la douleur, grâce à la contrition

II – La bonne santé retrouvée.

F. 54ra : *Refloruit caro mea*, Ps. (27, 7).

[Prothème] Est pauper qui indiget diuitis elemosina, tunc est audacior ad petendum quando scit uel credit quod diues est hylarior et largior ad prestandum. Beatus autem Augustinus¹ uidetur expresse innuere quod *Dominus omnium diues in omnes qui inuocant illum*, Rom. X (12) : hac die resurrectionis sue est hylarior et « largior ad prestandum ». Dicit enim sic in sermone de Pascha. In hac die peccator de indulgentia desperare non debet ; si enim latro paradysum meruit, cur non mereatur ueniam christianus ? Etsi illi Dominus, |54rb| cum crucifigitur, miseretur, multo magis huic miserebitur cum resurgat. Nam si humilitas Passionis tantum contulit confitenti, gloria Resurrectionis quantum tribuet desperanti. Largior enim esse solet ad prestandum leta uictoria quam addita captiuitas. Si *Deus qui diues est in misericordia*, Eph. (2, 4), ideo est hodie largior ad prestandum quilibet nostrum indigens eius auxilio, debet esse hodie audacior ad petendum, ideo audacter in principio sermonis iuxta consilium apostoli Heb. X (4, 16) : *adeamus cum fiducia ad tronum gratie eius ut misericordiam consequamur et gratiam inueniamus in auxilio oportuno*. Tronus gratie est misericordia ad quam accedentes dicamus Aue etc.

[Thème] *Refloruit*. Item ad hoc quod apostema antiquatum in carne curetur ex toto, oportet quod per ordinem fiant ista duo, primo quod fiat sectio uel cauterium ad carnem putrefactam et corruptam consumendum et eradicandum ex toto, secundo quod loco carnis mortue regeneretur et redeat uiua caro. Verum est quod sectio uel cauterium non consumit sufficienter carnem mortuam donec attingat ad carnem uiuam et sanam. Hoc ideo dixi quia ab antiquo propter peccatum primorum parentum, ortum est in carne nostra apostema mortiferum, per unum enim hominem *peccatum intravit*

¹ *Manipulus florū*, Resurrectio F (Augustinus siue Maximus in sermone de Pascha).

in mundum et per peccatum mors, Ro. (5, 12). Propter illud enim peccatum tota massa carnis humane ex semine traducta corrupta est, putrefacta et mortificata, hoc est necessitati corrumpendi, putrifiendi et moriendo [54va] subiecta. Ps. (37, 6) : *putruerunt et corrupte sunt cicatrices mee*, sequitur (37, 8) : *lumbi mei impleti sunt illusionibus* etc. Quod autem infirmitas carnis nostre sit infirmitas apostematis patet sic. Apostema enim non curetur per sectionem uel cauterium, continue corruptum et putrefacit locum sibi uicinum et tandem mortem inducit ; sic caro infirma inficit spiritum sibi coniunctum, nisi adhreat penitentie cauterium. *Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini ; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis uiuetis* (Rom. 8, 13). Ysidorus¹, 4° III de summo bono : « Penitentia est medicamentum uulneris, spes salutis per quam peccatores saluantur, per quam Deus ad misericordiam prouocatur, quem non mensum ac temporum in cursu pensatur. Sed pena qua anima cruciatur et caro mortificatur. » Ecce cauterium de quo figuratue dicitur Leui. VII (19) : *caro que aliquid tetigerit immundum non comedetur sed comburetur igni*, ubi aduertendum quod cibus in lege prohibitus reputabatur immundus. Caro ergo que immundum tetigit ob hoc facta est immunda : est caro humana que propter tactum et gustum cibi uetiti incurrit immunditiam originalis peccati. Hoc non debet commedi set igne comburi. Caro que debet comedи solet prius nutrita et optime impinguari set caro que antiquatus Domino ymolabatur igne comburebatur. Ille qui nutrit et impinguat carnem suam, quid aliud facit nisi parare uermibus ascam ? Unde Bernardus² : « Cur carnem tuam pretiosis rebus impinguas quam post paucos dies uermes deuoraturi sunt in sepulcro et animam [54vb] tuam bonis operibus non adornas que Deo et angelis eius est penitanda in iudicio tuo. Cur ergo animam tuam uilipendis et ei carnem preponis ? Dominam ancillari et ancilla dominari magna confusio est. » Hec ergo non debet caro hominis comedи nec debet impinguari sicut caro que paratur comedioni, set debet igne comburi. Hoc est cauterio penitentie consumi et sic Deo sacrificari. Gregorius³ : « Dum carnalis uita corrigatur, et usque ad abstinentie et orationis studium a confidentibus peruenitur, quasi in altari iam caro incenditur, ut in conspectu Dei omnipotentis sacrificium redolebat, unde prius culpa displicebat. » Simile habemus in arte. Lateres enim, quando de luto formantur, decoquuntur igne ut firmiores et fortiores reddantur. Si enim in aqua ponerentur, molliores et immundiores efficerentur. Per laterem de luto formatum, quid nisi carnem uel corpus humanum ? *Formauit enim Deus hominem de limo terre*, Gen. a (2, 7). In hoc habet caro conditionem lateris que quando decoquitur in igne aduersitatis, penitentie et tribulationis, homo autem redditur firmior et fortior ad resistendum temptationibus carnis, (II) Cor. (12, 10) : *quando infirmor, tunc fortior sum et potens*. Set quando in aquis deliciarum nutritur, tunc spiritus mollior et debilior efficitur, et spiritus corpore molli redditio et deuiciatio necesse est et animam participare corporis morbo. Sic patet ex dictis quod infirmitas carnis

¹ *Manipulus florū*, Penitentia BF (Isidorus libro 3 de summo bono) ; Isidorus Hispalensis, *De ecclesiasticis officiis*, II, 17 (C. Lawson, SL 113, 1989, p. 80).

² *Manipulus florū*, Caro siue corpus N (Bernardus in sermone et Hugo de Claustro anime) ; Bernardus Clareuallensis, *Meditationes piissimae de cognitione humane conditionis*, 3 (PL 184, 490B).

³ *Manipulus florū*, Caro siue corpus E (Gregorius in Moralibus) ; Gregorius Magnus, *Homiliae in Hiezechiel prophetam*, II, 10, 13 (M. Adriaen, SL 142, 1971, p. 388).

nostre est infirmitas apostematis quod locum uicinum inficit et corruptit. Propter curam huius apostematis siue est seccio in [55ra] carne humana, quando in remedium originalis peccati fuit circumcisio instituta, Gen. XLIII (17, 14) : *masculus cuius prepucii caro circumcisa. Non fuerit peribit anima illius* (Num. 19, 20) de populo suo, set circumcisio non curauit sufficienter istud apostema, quamdui non attingit nisi ad carnem putridam. Qualis erat tota caro ab Adam descendens per generationem? Gen. VI (12) : *omnis quippe caro corruperat uiam suam super terram.* Sola caro Christi fuit uiua et sana quia licet in similitudinem carnis peccati ueniat¹ peccatum, *tamen non fecit* etc. prima Po. (Num. 9, 13). In carne ergo uiua tunc fuit sectio facta, quando caro Christi fuit in cruce, cum fero clauorum et lancee lacerata, set requirebatur ad hoc quod apostema curaretur ex toto quod pro carne mortua rediret uiua caro. Quod factum est in Christi Resurrectione et tunc curatum est apostema quia « mortem nostram moriendo destruxit et uitam resurgendo reparauit². »

[Division] Quantum ad secundum de reditu huius uiue carnis loquitur Ps. (27, 7) in persona Christi uerba proposita, *refloruit* etc. Ubi patet quod in resurrectione Christi antiquitas renouatur, *refloruit*, infirmitas releuatur, *caro. Caro autem infirma*, Mt. (26, 41). Ydemptitas non priuatur, ymmo conseruatur in ea, Iob (19, 26-27) : *rursum circumdabor pelle mea et in carne mea uidebo Deum saluatorem meum usque non aliis.*

[I] De primo notandum quod cum uiror et uita palmitum dependeat ex uiore et uita radicum ex quo radix uel truncus retinet uiorem, ramus de facili recuperat florem, set ex [55rb] quo radix moritur, flos in palmite non recuperatur. Hoc ideo dixi quia anima se habet ad carnem sicut radix ad ramum in uita corporali et Christus ad animam sicut uitis ad palmitem in uita spirituali. Primum patet quia radicaliter uita procedit ab anima, non a carne. Io. V (6, 64) : *spiritus est qui uiuificat caro, non prodest quicquam.* Et ideo in brutis in quibus radix moritur cum ramo, anima cum carne, non est spes quod ramus refloreat, quod caro resurgat. Hanc similitudinem ponit Gregorius³ dicens : « Qui resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerunt. Quid enim cotidie nisi resurrectionem nostram in elemosinis suis mundus ymitatur? Non per momenta⁴ temporum cernimus arbusta ueriditatem foliorum perdere fructum, prolatione post largitionem cessare; et ecce subito quasi ex arescenti ligno uelut quadam resurrectione ueniente uidemus folium rumpere, fructus grandescere et totam arborem decore redivivo uestiri. »

Dixi secundo quod in uita gratie Christus se habet ad animam sicut fructus uitis ad palmitem. Ita dicit ipse, Io. (15, 1 ; 5) : *ego sum uitis uera, uos palmites sicut palmes non potest ferre fructum* etc., hoc est uitis de qua Gen. XL (9) dicitur : *uidi coram me uitem in qua erant tres propagines*, hoc

¹ ueniat] uenit P.

² Praefatio Pasch., H 83 (Deshusses I, p. 523).

³ *Manipulus flororum*, Resurrectio P (Gregorius libro 14. Moralium); Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, XIV, 55, 70 (M. Adriaen, SL 143A, 1979, p. 742).

⁴ momenta] arbusta P.

est tres nature in Christo, scilicet diuinitas¹, anima et caro. Si ergo palmes recuperat florem quando truncus retinet uitam et uiorem, tunc quicumque sunt palmites huius uite debent recuperare florem et uiorem gratie |55va| sicut Christus recuperauit uitam nature, Ecces. XXXIX (Eccli. 39, 19) : *florete flores quasi lily, date odorem et frondete in gratiam.* Merito autem Resurrectio a culpa ad gratiam comparatur refloritioni uinee. Flos enim uitis modicus est in quantitate, ita est subtilis quod est quasi imperceptibilis et tantum est maximus in uirtute quia suo odore animalia uenenosa expellit. Iterum uinea in primo flore facilius leditur, Iob XV (33) : *ledetur quasi uitis in primo flore botrus eius.* Iterum quando flos cadit de arbore antequam fructus formetur, de fructu arboris desperatur, ita quod fructus non ualet nisi sub flore formetur; sic spiritualiter gratia in anima est ita modice quantitatis quod est quasi imperceptibilis. Nemo enim scit *an odio uel amore dignus sit* (Eccle. 9, 1). Et tamen est tante uirtutis quod omne uenenum peccati a corde expellit. Iterum flos iste cito leditur quia gratia nunc recuperata cito a multis perditur uel propter uentum ambitionis uel plumo carnalis dilectionis. Iac. I (11) : *flos eius decidit et decor uultus eius deperiit.* Adhuc tertia opera penitentie et alia opera uirtuosa non sunt fructuosa. *Facite fructus dignos penitentie,* Mt. III (8). Nisi formentur sub flore, nisi fiant in statu gratie, nec Christi Passio uel Resurrectio est fructuosa, nisi illi qui sunt in gratia. *Mane ergo surgamus ad uineas, uideamus si uinea nostra floruit, si flores fructus parturiunt,* Cant. (7, 12). Quolibet mane debet homo uineam, scilicet suam conscientiam, uisitare et uidere si uinea etc. Hoc si sit in statu |55vb| culpe uel gratie set quo signo poterimus cognoscere ? Per sensum cognoscatur an aliquis uiuat uita animali, cum animal sit animal propter sensum. Primo enim quando membrum pungitur et sentit, signum est quod uiuit, ymmo plus membra uiuentia in corpore uno condolent sibi mutuo et maxime condolent capiti. *Omnes,* secundum Apostolum (Rom. 12, 5), *unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra,* signum est ergo quod ille non uiuit uita gratie qui non condolet proximo patienti. Prima (II) Cor. (11, 29) : *quis infirmatur et ego non infirmor* etc. Hoc ergo signo poteris cognoscere an reflorueris cum Christo et resurrexeris de morte culpe ad uitam gratie, si tu condoles Christo capiti morienti et congaudes ipsi resurgentem, ita quod sentias in te sicut puncturas, ita puncturas Christi et cuiuslibet proximi. Cassiodorus² super illud Ps. : « Affligamus in eius passione, gaudeamus in eius resurrectione. Sic enim possumus impius dici, si eius dispositionibus mereamur aptari. » Talibus qui sic refloruerunt, loquitur Apostolus, Phi. III (10) : *gauisus sum in Domino quoniam tandem aliquando refluistis pro me sentire sicut et sentiebatis.* Ubi patet quod Christi resurrectio tam in carne quam in nostra mente tria nobis exigit, scilicet peccatoris serenitatem, *gauisus sum in domino,* temporis amenitatem, *quoniam tandem aliquando refluistis,* doloris passibilitatem et amoris intimitatem, *pro me sentire* etc.

¹ diuinitas] diuicias P.

² *Manipulus florum*, Resurrectio X (Cassiodorus super Psalmum 19) ; Cassiodorus, *Expositio psalmorum*, XIX, 10 (M. Adriaen, SL 97, 1958, p. 180).

[a] Circa primum notandum quod de peccato, quando floret, transumptiue dicimus *peccatum ridet*, set ridere |56ra| istud equiuocum est, unde fallacia equiuocationis committitur cum sic arguitur : quidquid ridet habet os etc. Gloriam huius mundi Scriptura comparat floritioni agri aut peccati. Ysa. XL (6), prima Pe. I (24) : *omnis caro fenum et omnis gloria eius quasi flos feni*. Unde quando aliquis in mundo floret, dicimus quod mundus ei arridet. Set uere istud ridere est equiuocum et deceptorium ualde. Unde Augustinus¹ : « Vincula huius mundi asperitatem habent ueram, iocunditatem falsam, uoluptatem ; durum laborem, timidam quietem ; rem plenam miserie, spem beatitudinis inanem ». Ergo si mundus tibi arridet, non confidas quia fallacia et deceptio est, Iob (Eccle. 2, 2) : *risum reputavi errorem et gaudio dixi quid frustra deciperis*. Recte mundus ridet sicut alba spina floret. Alba enim spina floret pulcritudine set pungitur fortissime. Unde decipiunt multi uolentes colligere florem, cum spine uulnerant manum suam. Item spine fortiter adherent et hominem uiolenter detinent. Saluator, in Luca, per spinas exponit mundanas diuitias ; ubi Gregorius² : « Quis mihi unquam quam crederet si spinas diuitias interpretari. Hoc apparet maxime cum ille pungnant, iste delectant ? Et tamen spine sunt quia cogitationum suarum punccionibus mente lacerant et tamen usque ad perfectum pertrahunt quasi influccio uulnere cruentant. » Ecce ergo spine que fortissime pungunt, quamuis pulcherrime florent. Et certe si illi qui uident spinam florere, |56rb| mundum sibi arridere, decipiuntur et detinentur in mundo et adherent ei per inordinatum affectum, non est ita mirabile set quod illi qui non sentiunt nisi puncturas mundi, quibus mundus non arridet, adhuc decipientur et afficiantur ad mundum, hoc est summe detestabile. Augustinus³ : « Ecce turbatur mundus, et amatur. Quid si tranquillus esset ? Formoso quomodo hereres, qui sic amplecteris fedum ? Flores eius quomodo colligeres, qui a spinis non reuocas manum ? » Si ergo mundus arrideat, non est confidendum nec gaudendum, quia ridere illud est sophisticum. Ideo dicit Apostolus : *gauisus sum in domino*. Abacuc III (18) : *ego autem in Domino gaudebo* etc. Ratio nulla est ad hoc quia licet elementum habet propriam speram extra quam non quiescit, nisi forte per uiolentiam, elementum in spera propria conseruatur et perpetuatur. Extra eam cito corrumpitur, bene maxime patet in igne qui perpetuatur in spera propria, cito deficit in materia aliena sicut in palea uel stupa. Spiritualiter propria spera nostra est ille qui est uera spes nostra, de quo Io. XV (Rom. 15, 13) : *Deus spei repleat uos omni gaudio et pace in credendo*, et Ps. (141, 6) : *dixi tu es spes mea*. Extra hanc speram cor humanum non quiescit, unde Augustinus⁴ : « Fecisti nos, Domine, ad te et inquietum est cor nostrum donec quiescat in te. » Ymmo cor humanum alibi uiolentatum et pressum, si refugiat ad Deum, in eo inueniet consolationem et quietem. *In mundo pressuram habebitis in me autem pacem* (Io. 16, 33) |56va| et merito in mundo pressuram. In loco enim arto ubi confluunt multi, oportet quod pressura sit. Terra

¹ *Manipulus flororum*, Mundus F (Augustinus) ; Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 26 (A. Goldbacher, CSEL 34, 1895, repr. 1970, p. 85).

² Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri duo*, I, 15, 1 (PL 76, 1131D).

³ *Manipulus flororum*, Mundus E (Augustinus super Psalmos) ; Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 38, 11 (C. Lambot, SL 41, 1961, p. 486).

⁴ Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII*, I, 1 (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 1).

modica est et ualde arta respectu celi et tantum ad terram, id est ad terrena habenda, confluunt ualde multi. *A maiori enim usque ad minorem omnes auaricie student*, Pe. VI (Ie. 6, 13). Ad celum uero, id est ad celestia appetenda, confluunt ualde pauci, cum tamen scriptum sit, Col. (3, 1) : *si conresurrexitis cum Christo que sursum* etc. Iterum sicut ignis in propria spera perpetuatur, deficit autem cito in materia aliena, sic gaudium quod concipitur de re transitoria cito transit defficiente re illa, Iob 30 (20, 5) : *gaudium ypocrite adinstar puncti* set gaudium quod de Deo concipitur, illud perpetuatur. Unde Bernardus¹ : « Illud est uerum et sumnum gaudium, quod non de creatura, set de Creatore concipitur. Quod acceperis, nemo tollet a te. An aliunde comparata, omnis suauitas dolor est, omnis iocunditas meror est, omne dulce amarum, omne decorum fedum, omne postremo quod delectari potest molestum est. » Ergo iuxta consilium Apostoli (Phil. 4, 4) : *gaudete in domino semper iterum dico gaudete.* Illi qui gaudent gaudio mundano non dicitur *iterum gaudete* nec dicitur eis (Luc. 6, 24) : *ue uobis qui nunc gaudetis quia plo et fie, ue uobis diuitibus quia habetis consolationem uestram.* Set illis qui gaudent in Domino dicitur iterum : *gaudete quia nunc gaudent in spe et tandem in re.* Ps. (Is. 51, 11) : *leticia sempiterna super capita eorum gaudium et letitiam optinebunt.*

[b] De secundo nota : quando arbor floret nimis [56vb] tempestive, antequam tempus amenum uirescerit et hyemps transierit complete, modico gelu superueniente, flores amictit nec fructificat illo anno nisi refloreat iterato, unde tempus instabile et mutabile de calore subitum a gelu subitum non congruit floritioni arborum. Scriptura comparat hominem arbori. *Video homines quasi arbores transeuntes* (Marc 8, 24). Ratio est quia sicut arbor, quanto mittit radices profundius, tanto crescit altius et fructificat melius; sic homo quanto profundior in humilitate, tanto altior in merito et compositior in fructu uite eterne. Ysa. XXXIII (37, 31) : *mittet radices deorsum et faciet fructum sursum.* Hec est arbor fici de qua figuratiue dicitur in parabola Luc (13, 8) : *dimitte eam et hoc anno ut fodeam circa eam et mittam stercora et siquidem fecerit fructum.* Per ficum que primatum tenet in arboribus, intelligo hominem qui primatum tenet in animalibus. Circa hanc ficum debet homo fodere et stercora mittere. Ille qui fodit terram extrahit et fossam facit. Fodere ergo est amorem terrenum a cordibus extrahere et hoc est ualde necesse. Arbor enim trahit humorem a terra quantum sufficit pro augmento et nutrimento suo, superfluum humoris in folia, flores et fructus conuertere debet. Sunt autem aliique arbores ita auide retinendo quod humorem quem deberent conuertere in fructum et florem, conuertunt in augmentum uel multiplicationem palmitum aut ramorum et sic nullum uel modicum fructum [57ra] afferunt. Propter quod ortolanus quolibet anno uertat arborem uel uineam suam resecando ramos superfluos ut sic humor conuertatur in fructum, non in ramos illos. Sic spiritualiter homo superfluum terrene substantie, habitu uictu et uestimento sufficienti, conuertere debet in fructus, id est in epistulas anime fructuosas. Mt. (7, 17) : *arbor bona fructus bonos facit.* Set aliqui auari sunt, ita audi in retinendo terrenam substantiam et illud quod superfluit quod deberent

¹ *Manipulus flororum*, Gaudium N (Bernardus in quodam sermone) et Gloria eterna AL ; Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 114, 1 (SBO, VII, p. 292).

conueriti in fructum, conuertunt in multiplicationem reddituum et augmentum ramorum, id est in multiplicationem nouorum reddituum et isti non referunt fructum. Qui amat diuitias, fructum ex eis non capiet : ut ergo arbor nostra fructificet, rami superflui debent resecari ; quod superest ad uictum et uestitum debet pauperibus errogari. Hoc est ergo fodere, amorem terrenum a corde extrahere, iterum fossam facere et stercora mittere, id est uilitatem et fragilitatem propriam recognoscere et sic fossam humilitatis in corde inducere. Qui bene cogitaret quomodo uilis, stercorus et totus miser est, profundam foueam humilitatis stercoribus istis impleret. Hec stercora in foueam mittere docet Prosper¹ in sententiis suis. Dicit sic : « Diuitiis flores et maiorum nobilitate te iactas de patria de pulcritudine corporis, de honoribus que tibi ab hominibus exhibentur, te exaltas. Respice te ipsum, quia mortalis es, et quia terra es et in terram ibis. Circumspice eos qui ante te similibus fulsere splendoribus. Ubi |57rb| sunt quos ambiebant ciuium potentatus ? Ubi insuperabiles oratores ? Ubi qui festa conuentus disponebant ? Ubi equorum splendidi inuectores ? Ubi satrape et tyranni ? Non ne omnia puluis ? Non ne omnia fauille ? Non ne in paucis ossibus eorum uite memoria est ? Respice sepulcra et uide quis pauper, quis diues, quis dominus. Discerne, si potes, uinctum a rege, fortem a debili, pulchrum a deformi. Memor itaque nature tue, aliquando [non] extollaris. Memor autem eris, si te ipsum respexeris. » Ecce quomodo docet stercoribus nostris replere foueam profundam humilitatis. Sic habes ex dictis quod homo congrue comparatur arbori. Certe arbor que floret est homo qui floret et est in honore in uita presenti, nimis cito florere incipit. Tempus enim uite presentis ita est mutabile quod homo qui hodie floret in honore uel qui est in flore iuuentutis, pulcritudinis et fortitudinis sue, cras arescit et ex toto marcescit, subito infortunio superueniente. Iob (14, 1-2) : *homo natus de muliere breui uiuens tempore*, sequitur : *qui quasi flos egreditur* etc. usque permane. Ideo dicitur in canonica Iac. (1, 9) : *glorietur frater humilis in exaltatione sua, diues autem in humilitate sua*. De tali ergo floritione qua homo floret et est in honore in mundo non est curandum, quia dies eius tamquam flos agri sic efflorebit sicut *pertransibit in illo et non subsistet* etc. (Ps. 102, 16). Ymmo de fructu finali talis arboris est quasi desperandum : arbores diuersarum complexionum |57va| requirunt territoria diuersarum conditionum, unde arbor qui floret et fructificat in territorio sibi proprio, arescit et moritur transplantata in alio loco. Terra nostra et terra uiuentium sunt territoria diuersarum conditionum in tantum quod homo qui floret et est in honore in mundo, quasi habens sibi proprium territorium, non floret in celo. Ymmo est sibi illud territorium alienum et e contrario pauperiores et abiecti in mundo transplantati in celo florebunt ibi sicut in territorio proprio. Ps. (91, 13-14) : *iustus ut palma florebit in domo Domini plantati in domo Domini nostri florebunt*. Dicit Beda² super illo uerbo, Iac. I (2) : *omne gaudium existimate fratres* etc. : « Ne indignemini si mali in mundo floreant et uos patimini quia non est christiane dignitatis in temporalibus exaltari set deici. Mali nichil habent in celo,

¹ *Manipulus florum*, Prosperitas X (Prosper in suis sententiis) ; Prosper Aquitanus, *Liber sententiarum*, 392 (P. Callens, SL 68A, 1972, p. 364-365).

² *Manipulus florum*, Tribulatio AL (Beda et est glossa super illud Jacobi *omne gaudium exi fratres*) ; Glossa, IV, p. 512.

uos nichil in mundo, set spe illius boni ad quod tenditis, quicquid in uia contigerit, gaudere debetis. » Sic patet ex dictis quod tempus huius uite est quasi hyemale quod non congruit floritioni arborum set post Resurrectionem est tempus amenum floritioni congruum. Tunc dicemus illud Canticum (2, 12) : *hyemps transiit, ymber abiit et recessit, flores apperuerunt etc. in terra nostra uinee florent odorem.*

[c] De tertio nota quod redditum siue regenerationem uiue carnis concomitatur pruritus quidam qui sentitur in loco ulceris et est signum curationis et iste pruritus uocatur gallice anongue, ita quod manducatio est nomen commune equiuocum ad comedionem et pruritum. Iam |57vb| dictum est quod redditus¹ uiue carnis, quo² curatum est ulcus et apostema peccati, est Resurrectio Christi. Locus autem ulceris est cor uel conscientia peccatoris. Redditum ergo huius uiue carnis debet concomitari manducatio et pruritus qui sentitur in loco ulceris. Nam Resurrectionem Christi concomitatur hodie communio in qua caro Christi ad manducandum fidelibus datur. Io. (6, 52) : *panis quem ego do caro mea est pro mundi uita.* Et hanc communionem debet concomitari duplex pruritus in corde hominis. Primus pruritus qui debet³ sentiri in corde hominis est pruritus doloris remorsus conscientie, motus contritionis. Sine hoc pruritu non debet comedи corpus Christi. *Qui manducat et bibit indigne* etc. et sequitur : *probet seipsum homo* (I Cor. 11, 28-29). Quia autem dolor contritionis sit proprie pruritus, sicut enim ille qui sentit pruritum magnum non leditur, ymmo delectatur quando aspere fricatur et gratatur, sic ille qui perfecte sentit dolorem contritionis, cui peccatum perfecte displicet, asperitatem penitentie non refugit nec abhorret. Prou. 13 (23, 35) : *liberauerunt me et non dolui, traxerunt me set ego non sensi.* Bernardus⁴ : « Quis perfecte senserit onus peccati et anime lesionem, aut parum sentiet, aut ex toto non sentiet corporis penam, nec reputabit laborem, quo peccata nouerit deleri preterita, et caueri futura ». Tertius pruritus qui debet sentiri in corde est pruritus amoris, Phil. III (15) : *quicumque perfecti sumus* |58ra| *hoc sentiamus.* Pruritus amoris adeo est magnus quod necessitat hominem apponere manus ad opus. Gregorius⁵ : « Amor Dei nescit esse otiosus. Operatur enim magna, si est. Si autem operari renuit, amor non est. » De hoc pruritu dicit Bernardus⁶ : « Vide quid de Deo tuo sentias, uide quantum de eo presumas, uide quibus brachiis uinculo caritatis te amandus et amplectendus sit, qui tanti te estimauit, ymmo tanti te fecit. De latere enim suo te formauit, quando pro te in cruce obdormiuit et ob hoc sompnum mortis exceptit. Propter te a Deo patre exiuit et matrem synagogam reliquit, ut ei adhereas et unus cum eo spiritus efficiaris ». Tu qui non uis patrem et matrem relinquere, ut adhereas Christo qui pro te a patre exiuit et matrem synagogam reliquit, uide quid sentias de Deo tuo, uide quibus brachiis etc. Uide si sentis in corde similem pruritum amoris.

¹ redditus] redditum *P.*

² quo] qua *P.*

³ qui debet] quidem *P.*

⁴ *Manipulus flororum*, Penitentia AQ (Bernardus in quodam sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones in labore messis*, 1, 4 (SBO, V, p. 219).

⁵ *Manipulus flororum*, Amor AD (Gregorius in homelia), Opus F, Otiositas G ; Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri duo*, II, 30, 2 (PL 76, 1221B).

⁶ *Manipulus flororum*, Crux N (Bernardus super Cantica sermone 28) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones in dominica I post octauam Epiphaniae*, 2, 3 (SBO, IV, p. 321).

Certe non. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me non est me dignus*, Luc. (Mt. 10, 37). Ergo *hoc sentite in uobis quod in Christo Ihesu*, Phil. I (2, 5).

[II] De secundo principali notandum quod consuetudo quorumdam nobilium et magnatum est ista quod tam ipsi quam alii de familia sua mutant et renouant uestes in Pascha. Nec mirum : consuetudo nobilium tunc est talis quia homo ille nobilis qui abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum et reuerti uestem nostre carnis quam induerat in festo Natiuitatis. Quando *uerbum caro factum est et habitauit in nobis* (Io. 1, 14), cantamus enim in prosa¹. Audi, pater inauditum, uerbum patris est |58rb| uestitum nostre carnis sacculo quem uestis in cruce lacerata et consumpta fuit, iuxta dictum propheticum Ysa. XLIII (63, 2) : *quare rubrum factum est indumentum tuum et uestimenta tua quasi calcantium in torculari*. Vestem autem illam mutauit et renouauit in Pascha de qua renouatione locuntur uerba proposita *Refloruit* etc. Mutauit quidem quia post carnem mortalem et passibilem assumpsit impassibilem et immortalem, iuxta dictum Apostoli, I Cor. XV (53) : *oportet mortale hoc induere et immortalitatem* etc. Sequitur (15, 54) : *tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorta est mors in uictoria*. Hoc factum est die hodierna quando Christus triumphauit et mors mortem superauit. Et hoc fuit ualde rationabile nam filius aut seruus qui uestem a patre uel domino sibi datam consumit et uastat in seruicio patris uel domini, optime meretur quod uestis sua in termino Paschatis mutetur, set e contrario ille qui uestem sibi datam a patre uel domino suo consumeret in seruicio inimici patris uel domini sui, pessime meretur quod uestis sua in Paschate renouaretur. Quilibet nostrum accipit a domino uestem anime, id est carnem, dicente Iob 4 (10, 11) : *pelle et carnibus uestiti me* et ideo illi qui uestem, id est carnem sua, consumerunt in seruicio Christi in operibus penitentie, iuxta illud Gal. V (24) : *qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt* etc. Ecce quomodo illi de familia Christi debent consumere uestem suam in seruicio Domini. Isti, inquam, optime merentur quod uestis eorum in termino finalis Resurrectionis mutetur, quod fiet quando mortale hoc induet immortalitatem ut supra etc. |58va| Unde Augustinus in Enchiridion² : « Resurgent sanctorum corpora sine ullo uitio, sine ulla deformitate, sine ulla corruptione, onere et difficultate, in quibus tanta facilitas quanta felicitas erit ». Ecce quomodo mutabitur uestis. Quia caro infirma et passibilis, ideo dixi infirmitas reueatur, prima Cor. XV (43) : *seminatur in ignobilitate, surgit in gloria. Seminatur in infirmitate, surgit in uirtute*. Set econtra illi qui uestem suam, pulcram a Deo sibi datam florem, pulcritudinem sue iuuentutis consumunt in seruitio dyaboli, in luxuria et similibus factis, certe non merentur quod uestis eorum mutetur in Resurrectione nec mutabitur cum Apostolus dicat illud (I Cor. 15, 51) : *nos omnes quidem resurgemus sed non omnes immutabimur*. Carnem enim resumet set passibilem et infirmam. Iob (7, 5) : *induta est caro mea putredine et sordibus pulueris*. Anima etiam induetur confusione, maledictione. Ps. (108, 18-19) : *induit maledictionem sicut uestimentum* etc. *Fiat ei sicut uestimentum*

¹ CAO, 3, 5362, 5363, Nat. Domini.

² *Manipulus florum*, Resurrectio A (Augustinus in Enchiridion) ; Augustinus Hipponensis, *Enchiridion de fide, spe et caritate*, XXIII, 91 (E. Evans, SL 46, 1969, p. 98).

quo operitur etc., si umquam aliquis uestem quam consumpsit in seruitio patris sui, Luce 3 (2, 49) : *in hiis que patris mei sunt oportet me esse.* Spiritualiter in Passione ita fuit uestis sua consumpta, caro ita lacerata et rupta quod uix remansit pecia integra, Ps. (21, 19) : *diuiserunt sibi uestimenta mea,* et ideo in Paschate fuit renouata, in cuius figuram dicitur Hester V (1) quod *die tertio induita est Hester regalibus uestimentis et stetit in atrio domus regie.* Hester interpretatur abscondita¹ uel abscondens uel eleuata in populis et signat |58vb| carnem Christi sub qua iacuit abscondita diuinitas, Ysa. (45, 15) : *uere tu es Deus absconditus.* Que assumpta et eleuata fuit ad unitatem suppositi domini, Ps. (8, 2) : *eleuata est magnificentia tua super celos.* Set die tertia induita est regalibus uestimentis quando die tertia a mortuis resurrexit, ornata dotibus glorie claritatis agilitata etc. Prou. ult. (31, 25) : *fortitudo et decor indumentum eius.* Set stetit in atriis domus regie quia domus regia est ecclesia triumphans, Gen. (28, 17) : *hec domus Dei est et porta celi,* atrium eius ecclesia militans, Ps. (121, 1) : *letatus sum in hiis que dicta sunt mihi in domum domini ibimus.* Hoc dicitur pro ecclesia triumphante, sequitur (121, 2) : *stantes erunt pedes nostri in atriis tuis Ierusalem,* hoc pro ecclesia militante. Stetit ergo in atriis domus regie quia usque ad diem Ascensionis non intravit corporaliter ecclesiam triumphantem. Ad quam nos perducat.

¹ Non inveni.

SERMON 21

Résurrection.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 58vb-59ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 57vb.

F. 58 vb : *Frater tuus mortuus hic fuerat et reuixit* in Luca (15, 32) de Resurrectione.

Primo tangitur affectio tam affinis, *frater tuus. Quasi proximum, quasi fratrem nostrum, sic complacebam quasi lugens* etc. (Ps. 34, 14).

Defectio nostri finis, *mortuus fuerat*. Nota quod apud gramaticos illud est preteritum plus quam perfectum. *Maiorem autem perfectionem dilectionis nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Jo. 15, 13), set plus quam perfectionem fecit moriendo pro inimicis, *Christus pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis* (I Pe. 3, 18). Item in Apo. (1, 18) : *mortuus fui et ecce sum uiuens.*

Tertio notatur refectio ne fit |59ra| cinis, *et reuixit. Reuersa est anima eius et reuixit* (III Reg. 17, 22).

SERMON 22

Octave de Pâques.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 59ra-62ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 50ra-52va.

Plan :

Prothème

Thème – Comment faire la démonstration d'un argument. Le raisonnement par l'absurde est impossible pour la foi pour deux raisons :

- a. les articles de foi
- b. la Résurrection

Comment démontrer une erreur de logique :

- a. par la nature
- b. par la morale

Les caractéristiques de la Résurrection :

I – Mise à jour des défauts par la confession.

II – Mise en valeur de l'honnêteté par la satisfaction.

III – Mise en valeur des actes de piété par la dévotion et la contrition.

F. 59ra : *Ostendit eis manus et latus*, Io. XX (20).

[Prothème] Beatus Bernardus¹ loquens cuilibet nostrum dicit unum deuotum et notabile uerbum : « O, inquit, homo securum habes ad Deum accessum. Habes ibi filium ante patrem, ante filium matrem. Filius ostendit patri latus et uulnera, mater ostendit filio pectus et ubera, nulla possunt esse repulsa ubi tot sunt caritatis indicia. » Quia igitur gratia indigemus, non timeamus repulsam set fiducialiter accedamus ad matrem gratie et ut ipsa pro nobis ostendat filio pectus et uerba dicat quilibet deuote Aue Maria.

[Thème] *Ostendit eis* etc. Scola fidelium et doctrina fidei in hoc differt a scola artium quia in scola artium reperitur duplex modus probandi et uterque efficaciam habet ibi, unus quidem per argumentum ostensium et aliis per argumentum deducens ad impossibile, set in scola fidei argumentum ad impossibile non concludit, solum ostensium efficaciam habet ibi. Primo quod argumentum ad impossibile non concludat in scola fidei expresse habetur Mt. (Marc 9, 22) : *si potes credere omnia possibilia et credenti*. Ratio huius est duplex, una generalis quantum ad omnes articulos fidei, alia specialis quantum ad fidem Resurrectionis.

[a] Ratio generalis est ista quia principalis magister in scola fidei Deus est. « Qui cathedram habens in celis homines erudit in terris », secundum Augustinum². Apud Deum autem sillogismus ad

¹ *Manipulus flororum*, Confidentialia D (Bernardus in sermone).

² *Non inveni*.

impossibile numquam locum habet quia *que impossibilia sunt apud homines possibilia sunt apud Deum*, Luc. XVIII (27). |59rb| In signum huius legimus in Mt. quod discipuli qui erant de scola Christi semel uoluerunt probare per argumentum deducens¹ ad impossibile quod nullus diues posset celum intrare. Christus enim dixerat eis illud uerbum terrible diuitibus : *facilius est camelum* etc. Mt. XIX (24). Cuius dicti rationem assignans beatus Bernardus² dicit sic : « Camelus non habet nisi unum onus, diues autem duo : unum terrenarum possessionum, aliud peccatorum. Primum in morte deponitur, secundum uelit nolit moriens retinetur nisi ante mortem deponatur. » Vult ergo dicere quod *facilius est camelum* cum uno onere per foramen acus transire quam diuitem cum dupli onere terrenorum et peccatorum intrare in regnum celorum. Ex hoc uerbo concluserunt apostoli deducentes ad impossibile : *quis ergo poterit saluus esse* (Mt. 19, 25). Christus illum modum probandi statim reprobauit et dixit eis : quod apud Deum argumentum ad impossibile numquam habet locum, apud homines, inquit, hoc impossibile est. *Apud Deum omnia possibilia sunt*, Mt. XIX (26).

[b] Secunda ratio specialis quantum ad fidem Resurrectionis est illa : in arguento ad impossibile est talis processus quod ex destructione et impossibilitate consequentis fit redditus ad probandum destructionem et impossibilitatem antecedentis, et ideo, si esset aliqua talis materia in qua ad destructionem et impossibilitatem consequentis, sequeretur destructio et impossibilitas, quin potius affirmatio antecedentis in materia tali per sillogismum ad impossibile nichil posset concludi, recte talis est materia Resurrectionis. Caro enim et spiritus, anima et corpus, quorum reunio est ipsa Resurrectio, se habent in homine sicut |59va| antecedens et consequens. Spiritus enim debet antecedere carnem, ratio dirigere sensualitatem, caro debet esse consequens quia sensualitas debet sequi et consequi iudicium rationis.

Modo ad destructionem et impossibilitatem huius consequentis non sequitur destructio et impossibilitas, ymmo magis affirmatio antecedentis. Loquimur primo naturaliter, postea moraliter.

[a] Naturaliter enim ad destructionem, id est ad mortem naturalem corporum non sequitur mors anime, ymmo anima remanet immortalis. Separatur enim a corpore, sicut perpetuum a corruptibili. Moraliter ad destructionem et mortificationem carnis non sequitur mortificatio mentis ; ymmo quanto caro per opera penitentie melius mortificatur, tanto spiritus per gratiam magis uiuificatur. *Si spiritu facta carnis mortificatis uiuetis*, Io. VIII (Rom. 8, 13). Quando corpus debilitatur et quasi impotens efficitur per opera penitentie, tunc spiritus confirmatur et mortificatur in uita gratie. *Sum infirmorum tunc fortior sum et potens*, II Cor. XII (10). Ad litteram uidebitis hominem robustissimum corpore qui mente erit adeo debilis quod non possit minimam temptationem uincere, set econtra hominem impotentem corpore, mortificatum carne, qui erit robustissimus mente, omnia grauia pro Christo erunt sibi facilia. *Spiritus promptus est, caro autem infirma*, Mt. XXVI (41) et Mc. XIII (14, 38). Patet ergo quod naturaliter et moraliter loquendo ad destructionem huius

¹ deducens] ducens *B.*

² *Manipulus florū*, Divitie AB (Bernardus in sermone).

consequentis et impossibilitatem non sequitur destructio nec impossibilitas antecedentis. Ergo ex quo Resurrectio non est aliud quam reunio carnis et spiritus et hoc antecedens non destruitur, consequente destructo, quia post mor^{59vb}tem anima remanet immortalis in materia que est ingenerabilis et incorruptibilis et hoc propter principia essentialia hominis. Nulli fideli debet esse dubium quin Deus, [qui] a principio animam et corpus de nouo produxit et inuicem uniuit, possit ipsa iam producta et inesse conseruata ad inuicem reunire. Contra fidem ergo Resurrectionis non concludit argumentum ad impossibile apud Deum quia potens est *Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahe*, Mt. III (9). Sic patet primum.

[b] Dixi secundo quod in scola fidei solum argumentum ostensuum proprie habet locum. Ita dicit Apostolus, I Cor. II (4) : *sermo meus et predicatio mea non in persuasilibus humane sapientie uerbis set in ostensione Spiritus et ueritatis*. Vult dicere quod in scola fidei non habet efficaciam persuasio uerborum set ostensio operum secundum ueritatem. Ille solus in scola fidei efficaciter arguit, qui ea que uerbis persuadet operibus ostendit. *Ostendam tibi ex operibus fidem meam*, Iac. II (18). Set heu in libro Sapientie dicitur *signum uirtutis nullum ualemus ostendere*, Sap. V (13). Virtutes bene predicamus ore set non ostendimus eas opere. In signum huius quod non solum argumentum ostensuum efficaciam habet in scola fidei, legimus quod aliis discipulis dicentibus *uidimus Dominum* (Io. 20, 25) Thomas numquam uoluit credere nisi probaretur sibi ostensiu. *Nisi, inquit, uidero in manibus eius etc. non credam*, Io. XX (25). Item in figura huius quod non solum argumentum ostensuum in scola fidei concludit precipue in fide Resurrectionis, dicitur in Gen. XXXIX (16) quod |60ra| mulier *in argumentum fidei retentum palium ostendit*. Caro Christi non fuit aliud quam pallium quoddam sue diuinitatis. De hoc pallio fuerat prophetizatum, Gen. XLIX (11) : *lauabit in uino stolam suam et in sanguine uuae pallium suum*. Hoc fuit in Passione impletum quando pallium fuit in cruce laceratum et ruptum, Cant. V (7) : *percusserunt me et uulnerauerunt me, tulerunt mihi pallium meum custodes murorum*. Mulier que pallium retinuit est diuinitas que carnem assumptam non reliquit. Licet enim anima in morte fuerit separata a carne, semper tamen diuinitas mansit coniuncta utriusque. Tunc ergo *in argumentum fidei retentum pallium ostendit* quando in argumentum sue Resurrectionis corpus clavis et lancea laceratum discipulus demonstrauit. Hoc est quod dicitur : *ostendit ei manus et latus* (Io. 20, 20). Ostendit, id est per argumentum ostensuum probauit. II Mach. III (24) : *Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit sue ostensionis euidentiam*. Ubi notandum quod Christus probando sic ueritatem sue Resurrectionis per ostensionem¹ uulnerum manus debet Resurrectionem suam triplici argumento probare. Debet enim primo prauitatis uulnera patenter pandere in confessione : *ostendit eis* ; secundo probitatis opera potenter promere in satisfactione Resurrectionis², hoc est ostendere *manus* ; tertio debet pietatis ubera latenter premere in cordis contritione et deuotione, hoc notatur *in latere*.

¹ ostensionem] ostensionis *P.*

² Resurrectionis] Resurrectio *P.*

[I] De primo notatur prudens et probatus miles, uidens se uulneratum in bello precipue uulnere letali, festinat quantum potest uulnus suum uel uulnra [60rb] pandere medico. Quando autem uulnra sua¹ sunt iam per medicum curata, tunc cicatrices uulnerum curatorum ostendit patenter etiam populo. Set si uulnra nondum curata exponeret cuilibet ad uidendum, ita quod prius ostenderet ea uulgo quam medico, fatuum esset et periculosum quia propter aerem et uentum subintrantem, uulnus intumesceret et uulneratus deterius [se] haberet. Set ostendit cicatrices uulnerum curatorum gloriosorum sibi nec est periculosum. Miles fatuus et uane² glriosus facit oppositum : festinat enim uulnra pandere populo necdum curata et inde gloriatur, tardat et pigrat ostendere medico, timens ne ledatur mortaliter. Sanctus ille Iob dicit (7, 1) quod *militia est uita hominis super terram*. Et secundum ueritatem in hac presenti uita sumus semper in pugna quia mundus, caro, demonia diuersa mouent prelia nec est aliquis ita probus qui in hoc bello non uulneretur frequenter, et si non plaga mortali, saltem culpa ueniali. Plaga autem culpe mortalis est talis quod curari non potest nisi ostendatur medico, id est sacerdoti impendenti profectum absolutionis. Hoc patet figuratiue, Leuit. XIII (2) : uir in cuius cute orta fuerit *plaga lepre adducetur ad sacerdotem* et ibidem (13, 44) : *quicumque maculatus fuerit*, lepra ostendetur sacerdoti, *plaga lepre*, designat optime plagam mortalis culpe. Ratio est quia lepra est summe contagiosa, ut habes in sermone³ *Sanguis Christi* etc. Quod ergo ille in cuius cute apparebat [60va] plaga lepre debebat se ostendere sacerdoti. Hoc figuratiue designat quod quicumque sentit se uulneratum plaga mortali culpe, debet quantum potest festinare ostendere se sacerdoti in confessione. Mt. VI (8, 4) : *uade et ostende te sacerdoti*. Unde sicut est periculosum uulnus medico occultare, sic et multo magis est periculosum peccatum sacerdoti non pandere, dicente Augustino⁴ : « Si frater tuus uulnus habet in corpore etc. » Dicit Gregorius⁵ quod « uulnra clausa plus cruciant, nam cum putredo, que interius feruet, eicitur, ad salutem dolor aperitur. » Propter hoc consultit Sap. Ecclesiastis XVIII (20-21) quod festinemus peccata pandere sacerdoti. Dicit sic (Eccli. 18, 20-21) : *ante langorem adhibe medicinam et ante iudicium interroga te ipsum et in conspectu Dei inuenies propiciationem. Ante langorem humilia te et in tempore infirmitatis ostende conuersionem uel conuersationem tuam*, secundum aliam litteram. Notate uerba : *ante iudicium*, inquit, *interroga te ipsum*. Prudentes religiosi presentientes aduentum uisitatoris qui mittitur ad puniendum et corrigendum defectus non⁶ exspectant uisitatoris iudicium uel capitulum set coram priore suo accusant se in capitulo cotidiano, ex quo sunt per se ipsos accusati et correcti ; de cetero non timent iudicium uisitatoris. Nos presentimus et exspectamus aduentum uisitatoris Christi ad iudicium uenturi. Ie. LI (47 ; 52) : *uisitabo super sculptilia Babilonis, et in omni terra eius mugiet uulneratus*. Durissimum capitulum [60vb] tenebit uisitator iste. *Visitabit Dominus in gladio suo duro grandi et*

¹ sua om. B.

² uane] uani B.

³ Sermon 19.

⁴ Augustinus Hipponensis, *Praeceptum*, IV, 8 (L. Verheijen, I, 1967, p. 427).

⁵ Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, VII, 37, 60 (M. Adriaen, SL 143, 1979, p. 380).

⁶ non] nec P.

forti in Ysa. (27, 1). Ergo si uis iudicium uisitatoris euadere, accusa te ipsum coram proprio sacerdote. Dicit Leo¹ papa² quod « non remanet iudicio condampnandum quod fuerit confessione purgatum », et Cassiodorus³ dicit quod « illis non est iudex, set aduocatus est Christus, qui se propria confessione dampna[ue]runt ». Propter hoc dictum est : *ante iudicium interroga te ipsum et in tempore infirmitatis ostende te* etc. Set fatui peccatores uerentur uulnera peccatorum pandere medico, uix uolunt confiteri semel in anno et non uerentur, ymmo gloriantur ostendere quod patenter populo iactant se de peccatis suis. *Letantur cum malefecerint et exultant in rebus pessimis* (Prou. 2, 14) et quid sequitur ? Propter uentum inanis glorie subintrantem uulnus peccati intumescit. *Quid gloriaris in malitia ?* (Ps. 51, 3). In figuram huius legimus Ysa. XXXIX (2) quod *Ezechias* nuntius regis Babilonis *ostendit cellam aromatum*⁴ etc. *Non fuit uerbum quod non ostenderet eis in thesauris domus regie*. De hoc autem fuit Dominus contra eum uehementer iratus. Ezechias ostendens nuntius regis Babilonis thesauros domus sue, est ille qui in satellitibus dyaboli ostendit secreta conscientie sue. De hoc Dominus uehementer turbatur et sic uulnus peccati ostensem populo propter uentum inanis glorie deterioratur et augmentatur. *Super dolorem uulnerum meorum addiderunt, appone* etc. Ps. (68, 27). Verum est quod postquam uulnera peccatorum sunt perfecte |61ra| curata, ostendere populo cicatrices uulnerum gloriosum est nec est periculosum : cicatrices signa uulnerum cicatricorum sunt, opera penitentie, signa scelerum purgatorum. Ostendere opera penitentie post peccatum non est periculosum, ymmo debitum est et fructuosum.

[II] Propter hoc dicebatur secundo quod non sufficit prauitatis uulnera patenter pandere in confessione set oportet probitatis opera potenter promere in satisfactione. Hoc est *ostendere manus*. Ubi notandum quod canis uulneratus in tali parte corporis quod potest locum uulneris a lingua lambere, uulnus illud curat solo ministerio lingue. Set quando uulneratus est in tali parte ad quam cum lingua non potest attingere, tunc manum id est pedem anteriorem quo utitur quia manum lambit cum lingua et postquam cum lingua lambuerit, applicat ad locum uulneris ut sic cum manu et lingua curet quod cum sola lingua curare non posset. Spiritualiter sic deberet esse de lingua et manu hominis sicut est de lingua et manu canis. Set heu lingue hominum non sunt lingue medicinales canum set sunt lingue uenenose serpentum. Ps. (139, 4) : *acuerunt linguas suas sicut serpentis* etc. Olim sufficiebat in mensa unius diuitis una lingua serpentis nec ille lingue serpentum ponebantur in mensis simplicium hominum, militum, ciuium, scolarium. Heu hodie in mensa omnium diuitum et pauperum sunt lingue serpentum, lingue detractorum ; salsa que hodie in omni ferculo apponitur, est detractio nec in mensa unius diuitis est unica lingua serpentis, ymmo sunt multe lingue detractorum et adulotorum. |61rb|

¹ Leo Magnus, *Tractatus septem et nonaginta*, 50, 1 (A. Chavasse, SL 138 A, 1973, p. 292).

² papa om. B.

³ *Manipulus florum*, Confessio X (Cassiodorus super illud) ; Cassiodorus, *Expositio psalmorum*, LXVI, 5 (M. Adriaen, SL 97, 1958, p. 583).

⁴ aromatum] aro B.

Bene inueniatur aliqui¹ serpens qui habet aculeum uenenosum in lingua in parte anteriori. Iterum inueniatur aliquis qui habet aculeum in cauda in parte posteriori. Set quod sit serpens aliqui² qui habeat aculeum in utraque parte, non recolo me legisse. Lingue detractorum et adulatorum sunt peiores quam lingue serpentum. Tales enim habent in parte anteriori, in presentia et in facie hominis, aculeum uenenosum adulatio[n]is, retro autem in absentia pungunt aculeo detractionis. Prou. XVIII (21) : *mors et uita in manibus lingue*. Recte lingua uenenosa hominis habet mortem et uitam in manibus suis, quia in presentia uiuificat hominem, aptat sibi uitam, uiuat papa, uiuat imperator, in absentia detrahit et dicit (Mt. 26, 66) : *reus est mortis*. Ergo peiores sunt lingue talium quam lingue serpentum. Ie. IX (8) : *sagitta uulnerans lingua eorum dolum locuta est*. Nota de beato Augustino³ qui in mensa lectionum et disputationum semper diligens contra pestem detractionis in ea ita scriptum habebat : si quis etc.

Reuertor ad propositum. Quicquid sit de facto, tamen⁴ de iure deberet sic esse de lingua et manu hominis sicut de lingua et manu canis. Peccatum mortale uulnerat hominem duplice uulnere. Primum uulnus est macula culpe, secundum est reatus pene. In figuram huius legimus II Paral. XXII (6) quod *uulnerauerant Syrii Ioram qui reuersus est ut reuertatur in Iesrael*. Multas enim plagas acceperat in supradicto certamine. Ioram interpretatur⁵ qui excelsus est, Syrii sublimes uel excelsi⁶, Ioram ergo uulneratus a Syriis est peccator superbus [61va] telis superbie uulneratus. Ps. (88, 11) : *tu humiliasti sicut uulneratum superbum*. Ille reuerti debet per penitentiam ut curetur. Ie. III (14) : *conuertimini reuertentes*. Non enim unam solam plagam set multas accepit, scilicet maculam culpe et reatum pene. Ymmo quamuis prima plaga, scilicet culpa, curetur ministerio lingue per confessionem, supposita contritione, secunda tamen non curatur totaliter de cursu communi nisi manus cum lingua lambatur et ad locum uulneris applicatur, hoc est dictum nisi confessio oris adiungatur satisfactio operis, ut possit dici cuilibet uere penitenti illud IIII (3) Reg. (8, 24) : *ore locutus es et manibus perfecisti*. In figuram huius legimus Iudic. VII (4-5) quod Dominus uolens probare populum dixit Gedeoni : *duc populum ad aquas et ibi probabo illos. Qui manu et lingua lambuerint aquam sicut solent canes lambere* etc. Ibi fuerunt a Deo electi et probati⁷. Illi autem qui solum ore aquam sumebant, non apponentes manum, fuerunt a Domino reprobati. Aqua ablutiua sordium corporis significat penitentiam que abluit sordes mentis. Ad aquam istam uult Dominus probare qui sunt illi qui resurgunt de morte culpe ad uitam gratie. Ps. (80, 8) : *probaui te apud aquas*. Illi enim qui solo ore confitendo ostendunt, non perfecte resurgent set illi qui lingua et manu lambunt sicut canes, id est qui cum confessione oris addunt satisfactionem operis. *Quodcumque ergo potest*

¹ aliqui] aliquis *P.*

² aliqui] aliquis *P.*

³ *Non inueni.*

⁴ tamen *om. B.*

⁵ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 111.

⁶ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 72.

⁷ probati] approbati *B.*

facere manus tua instanter operare in Ecclesiastico (9, 10). Nota etiam, si uis, qualiter monstrum est in natura habere brachium [61vb] ita breue quod manus non possit usque ad os attingere, sic est monstrum in moribus quod homo fit rarus in factis et multus in uerbis. Bernardus¹ : « Doctrina lucida, uita tenebrosa, lingua magniloquia, manus otiosa, res est monstruosa. » Set notandum quod cum motus uitalis fontaliter procedat a corde, cessante motu cordis, nec lingua nec manus possunt moueri motu uitali. Sic spiritualiter² nec motus lingue in confessione nec motus manus in bona operatione sunt motus uitales, id est ad uitam gratie utiles, nisi cor primo moueat motu doloris, contritionis et deuotionis.

[III] Ideo dixi tertio quod non sufficit prauitatis uulnera etc. nec probitatis opera etc. Set oportet pietatis ubera latenter premere in cordis contritione et deuotione, *latus*. Prou. XXX (33) dicitur : qui *fortiter premit ubera ad eliciendum lac exprimit butirum*. Ubi notandum quod sicut in corpore sunt duo latera et duo ubera, unum dextrum et aliud sinistrum, ita in corde dextrum latus est amor Dei, sinistrum est timor mali. Quando cor peccatoris premitur in utroque uulnere uel latere, item quod premitur timore pene inferni et priuatur amore Dei, tunc exprimitur non solum lac lacrimose contritionis set butirum dulcedinis et deuotionis. Quando premitur in solo latere, [id est] quod punitur³ solo timore pene, non est sufficiens contritio. In figuram huius dicitur II Paral. III (4, 10) quod *mare ponit in latere dextro*, mare, id est amaritudo penitentie debet [62ra] procedere a dextro latere quia non principaliter ex timore set potius ex amore. Item in figuram huius cantamus⁴ et sumitur originaliter de Eze. XLVII^o (2), textus tamen non habet sic : uidi aquam egredientem de templo *a latere dextro* etc. Templum proprium Dei habitaculum est cor humanum. *Templum Dei sanctum est quod estis uos* (I Cor. 3, 17). A dextro latere huius templi egreditur aqua salutifera lacrimose contritionis. Quicumque biberit ex aqua hac fiet in eo fons aqua salientis in uitam eternam (Io. 4, 14). Ad quam⁵ etc.

¹ Cf. *Manipulus florū*, Prelatio AZ (Bernardus de consideratione libro 2) ; Bernardus Clareuallensis, *De consideratione libri V*, II, 14 (SBO, III, p. 422).

² spiritualiter] specialiter *exp. B.*

³ punitur] punit *P.*

⁴ CAO, 3, 5403, Dom. Paschae, ad Proces. in die Paschae.

⁵ quam] nos perducet *add. B.*

SERMON 23

Troisième dimanche après Pâques.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 62ra-65ra.

Plan :

Thème – Les règles de l’hospitalité due au voyageur : on peut être mal reçu. Comparaison avec l’attrait de la chair, suivi par la punition divine.

Division – Comment bien voyager ?

I – Ne pas s’attarder dans le monde.

II – Pratiquer l’abstinence.

F. 62ra : *Obsecro uos tamquam aduenas et peregrinos abstinere a carnalibus desideriis*, prima Pe. II (11).

[Thème] Consuetudo Francie in aliquibus uillis est ista quod peregrinis autem propter more dispendium uacat sibi cibos coquere et parare, ideo quelibet hospita receptrix peregrinorum communiter habet penes se carnes coctas uel alium cibum paratum. Unde transeuntibus peregrinis, hospita stans in ostio dicit eis : « Domini, intretis hospitium meum, hic habebitis optimum uinum, hic inuenietis ollam, ad ignem carnes coctas et bonum pulmentum. » Modo contingit quandoque quod peregrinus adquiescens mendaci hospite decipitur ualde : quando enim hospitium intravit, non inuenit quod hospita promisit. Promiserat siquidem uinum optimum, inuenit amarum et acetosum ; promiserat carnes recentes et pulmentum bonum, inuenit carnes morticinas et cibum suspectum et cum hoc toto et in exitu de domo. In exitu domus iste modicus cibus quem accepit strictissime computatur et carissime uenditur sibi. In |62rb| tali ergo casu ubi apparent carnes suspecte et morticinae et ibi computantur¹ finaliter ita care, non est bonum peregrino eas comedere, melius est abstинere. Spiritualiter spiritus noster, quamdiu est corpori coniunctus et unitus, aduena est et peregrinus, dicente Apostolo, 2 ad Cor. V (6) : *dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino*. Hospita autem in cuius domo peregrinus iste recipiatur caro est, in cuius domo lutea semper habitat. Job (4, 19) : *qui habitant domos luteas et terrenum habent fundamentum consumuntur uelut a tinea*. Hec hospita uocat et inuitat ad se peregrinum quem caro trahit et incitat spiritum ad malum, dicente Gregorio² : « Caro nos leta traxit ad culpam, afflictia reducit ad ueniam » a paradysi gaudiis. Per cibum recidimus ad hoc, per abstinentiam resurgamus. Hec hospita peregrinum spiritum, ut attrahat, peccatum habet ollam pulmenti carnium iuxta focum. Focus hospite est fomes peccati, ignis qui numquam dicit « Sufficit ». Pulmentum est cibus suavis et delicatus et forsitan dicitur pulmentum quia polluit mentem³ ; quando

¹ computantur] computatur *P.*

² Gregorius Magnus, *Homiliarum XL in Euangelia libri duo*, I, 16, 5 (PL 76, 1137D).

³ mentem] mentum *P.*

enim pulmentum de cocleari effluit, mentem polluit. Pulmentum carneum est suauitas carnalium uoluptatum quia carnales delicie, quando affluunt, Ecc. (Eccle. 2, 1) : *uadam et affluam deliciis*, quando, inquam, affluunt, mentem polluunt ; unde Bernardus¹ : « Mens assueta deliciis nec exculta discipline sarculo, multas contrahit sordes. » Sequitur ad focum hospite. Quando expelletur |62va| carnis desiderium accenso fornace concupiscentie male, Num. XL (11, 4) : *uulgus promiscuum* desiderium carnis. Unde dicebat populus ille, Ex. XVI (3) : *utinam mortui essemus in terra Egypti*, quando sedebamus super ollam carnium, et quid secutum est ? In Ps. (77, 29-30) : *manducauerunt et saturati sunt nimis et desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desiderio suo, adhuc esce in ore eorum*. Adhuc hodie frequenter contingit quod homines qui sic flagitant, hoc est estuant et feruent desiderio carnalium uoluptatum, ubi adhuc habent morsellum in ore, ubi sunt adhuc in actu in explenda carnali uoluptate, Deus percutit eos et moriuntur subito. Hoc pulmentum carnis fuit optime figuratum, IV Reg. IX (4, 40), ubi puer Helysei collegit colloquintida in ollam pulmenti, de quo cum gustassent, socii clamauerunt : *Mors in olla, mors in olla uir Dei !* Colloquintida, secundum Glossam², est herba agresta amara ualde et minor quam sit illa que crescit cucurbita in ortis. Hec colloquintida significat delectationem carnalium uoluptatum que incomparabiliter minor est quam sit illa que crescit in ortis deliciosis animarum sanctarum, hoc est ualde amara, quia secundum ueritatem uoluptas carnis habet amaritudines multas annexans quod patet per effectum sequentem, quod cum gustassent socii etc. Dicunt bene socii quia ad litteram qui uoluptati et dissolutionibus dedicati, reputantur boni socii : *laudatur peccator in desiderium anime sue et iniquus benedicitur*, Ps. (9, 24). |62vb| Clamauerunt : *mors in olla* etc. Bis dicitur propter mortem corporis in olla sepulti, quod est mors prima, et propter mortem gehenne, quod est mors secunda, uel bis propter mortem culpe et mortem gehenne. In hac figura apparet quod peregrinus acquiescens hospite spiritus, obediens carni decipitur ualde. Primo quia inuenit amarum quod reputabatur dulce ; Ecc. (Eccle. 7, 27) : *inueni amariorem morte mulierem [quod] laqueus uenatorum [est] sagena cor eius uincula manus eius*. Qui placet Deo effugiet illam. Qui autem peccator est capietur ab ea. Ecce quomodo peregrinus decipitur ab hospita. Item carnes morticinas inuenit quia *si secundum carnem uixeritis moriemini*, Rom. VII (8, 13). Et tamen hoc in exitu de domo hospitis, quando spiritus exit a corpore, quilibet minimus morcellus, quilibet misera delectatio quam in domo hospite accipit ita care uendetur, ita stricte computatur quod dicitur in Apoc. (18, 6) : *duplicate duplia secundum opera eius in poculo quod miscuit nobis miscite illi duplum*. Quantum glorificauit se et in deliciis fuit, tantum datur³ ei tormentum et luctum. Figuratur hec fallax hospita per illam Jahel que dicebat Sisara, Judic. IV (18) : *intra ad me, Domine mi*. Recte sicut hospite de Francia Sisara ingressus tabernaculum eius dicit ad eam : *da mihi, obsecro, paululum aquam quia ualde sitio* (Judic. 4, 19). Tunc Jahel aperuit ei utrem

¹ *Manipulus florū*, Delicie H (Bernardus in quadam epistula) ; Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 152 (SBO, VII, p. 358).

² Glossa, II, p. 147.

³ datur] date P.

lactis quo hausto obdormiuit et ipsa eum interfecit et mortuus est. Jahel interpretatur¹ carnale coniugium, [63ra] Sisara ergo hospitatus in tabernaculo Jahel est spiritus habitans in ergastulo carnis et ei coniunctus. Hec hospitem ad se inuitat quia caro ad malum incitat [et] prouocat. Ideo Apostolus consuluit spiritui quod ultra transeat nec acquiescat et Gal. V (16) : *spiritu ambulate et desideria carnis non proficietis.* Iterum sitienti et aquam petenti aperit utrem lactis appetitus desiderati dulcedinem momentanee delectationis, qua gustata sompno culpe satiatur supplicium mortis eterne. Gregorius² : « Momentaneum est quod delectat, eternum quod cruciat. » Propter hanc satietatem clamauerunt socii (IV Reg. 4, 40) : *mors in olla, mors in olla uir Dei !*

[Division] Igitur quia hospita sic peregrinum decipit dando carnes morticinas quas postea uendit care, tutius est peregrino a talibus abstinere ; hoc suadet Apostolus quando dicit (I Pe. 2, 11) : *obsecro uos tamquam aduenas* etc. Ubi Apostolus suadet et consultit, primo hic moram in mundo non trahere sed tamquam aduenas et peregrinos ab immundo pedem abstrahere, *abstinetе uos*, sitibundo potum subtrahere, *a carnalibus desideriis*. Desiderare enim est quoddam sitire, unde abstinere ab hoc quod desiderat caro est subtrahere sitibundo.

[I] Circa primum nota quod aduena [dicitur] per oppositum ad indigenam quia indigena genitus, inde aduena adueniens aliunde set dicitur peregrinus quasi pergens longum. Ysa. 23 (7) : *ducent eum longe pedes sui ad peregrinandum.* Unde ille sunt aduene et non peregrini qui aliunde ueniunt, non ut moram contrahunt set ut longius pergant, ad [63rb] propria redeant. Sequendo ethymologiam istorum nominum statim apparent quod quilibet nostrum, quamdiu uiuit in mundo ratione corporis, est indigena quia genitus inde corpus formatum ex limo terre set ratione spiritus est aduena. Anima enim non est a generante set uenit aliunde a Deo creante ut dicat quilibet spiritus carni sue illud Ps. (38, 13) : *aduena sum ego et peregrinus apud te sicut omnes patres mei.* Illi ergo sunt aduene et non peregrini qui sic morantur in mundo corde, ita determinantur mente. Hoc Apostolus non suadet, set uult quod simus aduene et peregrini. Sic autem fit quando spiritus non detinetur in mundo per affectum set hanelat ad patriam et continue tendit in Deum, ut dicamus (Hebr. 13, 14) : *non habemus hic manentem ciuitatem set futuram inquirimus. Confitentes ei quod peregrini et hospites sunt super terram significat se patriam inquirere,* Heb. VII (11, 13-14), unde glossa³ super illo uerbo (I Pe. 2, 11) : *obsecro uos tamquam aduene et peregrini* dicit sic : « Eo minus animam terrenis rebus subponite quos uos in celum patriam habere memineritis. Reprobi hic habent patriam cuius desideriis inhiant. » Non ergo debemus hic in mundo contrahere moram set hanelare ad patriam nostram celestem, 2 Co. V (8-9) : *audemus etiam bonam uoluntatem habeamus magis peregrinatorie et presentes esse ad Deum, et ideo cum tendimus siue absentes siue presentes placere illi.* Hoc est rationabile pro tanto quod, quando uir aduena contrahit matrimonium cum muliere indigena, cum uir

¹ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 100.

² Caesarius Arelatensis, *Sermones Caesarii uel ex aliis fontibus hausti*, 149, 4 (G. Morin, SL 104, 1953, p. 611).

³ Beda, *In epistolas VII catholicas*, in primam epist. Petri, II, 11 (D. Hurst, SL 121, 1983, p. 239) ; Glossa, IV, p. 529.

sit caput mulieris et non e contrario, rationabilius est quod uir [63va] aduena trahat uxorem suam indigenam ad patriam suam quam mulier indigena detineat uirum aduenam extra patriam suam. Unde uir quando bene dominatur uxori sue, considerans quod hereditas quem contingit eis ex ratione uxoris, defuncta uxore, ad eum non pertinebit set ad heredes mulieris redibit, totam illam hereditatem uendit ut de pecunia emat redditus utrique communis in patria sua. Set quandoque uir est ita diffamatus de uxore sua quod hereditatem suam propriam uendit ut emat redditus in terram uxorius. Spiritualiter uir aduena coniunctus matrimonio indigene mulieri est spiritus unitus carni in Ysa. LIII (54, 15) : *aduena tuus tibi adiungetur*, et certe rationabilius¹ est quod spiritus trahat secum carnem ad celum quam quod caro detineat spiritum in mundo et tandem trahat ad infernum. Modo hereditas que contingit uirum ratione uxorius est ista terrena possessio que magis debet uocari bona mobilia propter mutabilitatem que contingit in ea. De hac hereditate carnali homo igitur nichil retinet mortua uxore, mortua carne nichil portat secum de omnibus bonis mundi. *Dives cum dormierit nichil se cum afferet* (Job 27, 19). Unde dixit, puto, Seneca² : « Non sunt hominis bona que secum ferre non potest, sola misericordia comes est defunctorum. » Hereditas que contingit uirum ratione sui est hereditas celestis. Ps. (15, 6) : *hereditas mea preclara est mihi*. De hac hereditate mortuo spiritu per peccatum caro nichil portat, nichil portat uxor finaliter nec hereditatem que contingit eam ratione [63vb] parentum. Unde Job (17, 14) : *putredini dixi pater meus* etc. Ecc. III (Eccle. 10, 13) : *cum morietur homo mendicabilis serpentes, bestias et uermes*. Hiis consideratis uir non debet esse sic infatuatus super uxorem, spiritus super carnem quod dimittat hereditatem celestem et acquirat sibi possessionem terrenam. Sic erant infatuati illi honorati de Epheso quibus, cum dolerent de hiis qui³ possensiones suas relinquerant, Johannes euangelista, conuersis uergis et lapidibus mutatis in aurum et lapides pretiosas dixit : « Ite et terras uestras redimite quia regnum celorum perdidistis. » Set potius debent omnem possessionem terrenam uendere et pauperibus errogare ut emat sibi [et] uxori hereditatem in celis ; sic consultit Christus adolescenti (Matth. 19, 21) : *uade, inquit, et uende omnia que habes et da pauperibus et habebis thesaurum in celo*. Set sequitur quod abiit ille. Tristis erat enim multas possessiones habens. Ecce quomodo uxor detinebat uirum, caro detinebat spiritum, ne ad celestem patriam tenderet. Unde dicit Crisostomus⁴ quod non similiter detinentur qui pauca habent et qui in multis habundant, quantum diuitiarum abiectione maiorem accendit flamمام et uiolentior fit cupidus. Figura Leuit. 26 (25, 23) ubi dicitur : *uos aduene et coloni mei estis*. Unde cuncta regio possencionis uestre sub redemptionis conditione uendetur, quando bona fortune omnia pauperibus errogantur, sub conditione uenditionis uenduntur, primo quia hec peccata redimuntur (Dan. 4, 24) : *peccata tua eleemosinis redime*, quia per

¹ rationabilius] rationabile P.

² *Manipulus florū*, Auaritia K (Ambrosius in quodam sermone) ; Ambrosius Mediolanensis, *Expositio euangeli secundum Lucam*, VII, 122 (M. Adriaen, SL 14, 1957, p. 255).

³ qui] que P.

⁴ Cf. *Manipulus florū*, Cupidas P (Crisostomus homelia 9 super Mattheum).

hoc hereditas celestis emitur, dicente Augustino¹ : « Si [64ra] uis esse mercator optimus, fenerator egregius, da quod non potes retinere ut accipias quod non potes amittere, da modicum ut accipias centuplum, da temporalem posessionem ut consequeris hereditatem eternam. » Pauperes uoluntarii qui cunctam possessionem suam uendunt sub conditione redemptionis, illi sunt uere aduene et peregrini et dico bene peregrini. Secundum aliam ethymologiam peregrinus dicitur quia parentes eius ignorantur. Parentes diuitum non ignorantur, bene faciunt se cognosci, non est Parysius si fieret opus cras qui non haberet tot parentes, set parentes pauperum sunt ignoti in tantum quod filius uerecundatur cognoscere patrem suum. Petatur ab uno qui patrum diuitem et patrem pauperem habeat, cuius filius sit. Respondet : « Ego sum nepos talis domini. » *Patrem suum non nominabit*, Prou. IX (14, 20), *etiam proximo pauper est odiosus, amici uero diuitum multi*. Iterum Prou. XIX (6-7) : *multi colunt personam potentis et amici sunt dona tribuentis, fratres pauperis hominis oderunt eum insuper et amici eius recesserunt ab eo* ; ideo dicit Ps. (68, 9) : *extraneus factus sum fratribus meis et peregrinus filiis matris*. Hoc autem est ualde detestabile, dicente Ambrosio² : « Nichil grauius quam ut fratres nostros superbo despiciamus oculo, conformes intollerabiliter repellamus a fastidio³, nostra indignos gratia iudicantes, quia sunt inopes, cum paupertas facilis [sit] Deo quam thesaurus acceptior. » Merito autem pauperes magis sunt accepti Deo quam diuites quia Gallicus, licet in Angliam⁴ exiens sit aduena et [64rb] ignotus, in Franciam tamen rediens est indigena et domesticus ; e contrario de Anglia. Sic spiritualiter quia diuites in mundo sunt indigene et cognoti, ideo in celo erunt aduene et ignoti. Cantabitur eis euangelium Virginis⁵ : « Nescio uos, uos bene scitis. » Set e contrario pauperibus, quia in mundo sunt aduene et peregrini, dicetur in celo : *iam non estis hospites et aduene set ciues sanctorum et domestici Dei*, Eph. 2 (19). Sic patet primum quod Apostolus consultit hic in mundo moram non contrahere ut dicamus illud primi Paral. 29 (15) : *peregrini sumus coram te et aduene sicut omnes patres nostri dies nostri quasi umbra sunt super terram, nulla est mora domine Deus noster*.

[II] Secundum et tertium simul scilicet quod debemus ab immundo pedem abstrahere et sitibundo potum subtrahere. *Abstinere uos a carnalibus desideriis uestris* (I Pe. 2, 11). Apostolus consultit prima Thess. 4 (1; 4) ubi dicit : *de cetero fratres rogamus uos et execuuntur⁶ in Domino Ihesu*. Sequitur : *et abstineatis uos a fornicatione ut sciatis unusquisque uestrum uas suum possidere in sanctificatione et honore*. Hoc quantum ad primum in passione desiderii. Quantum ad secundum utrum autem rationabile est pro tanto quod exiens prope ignem, si uult sibi cauere ab incendio uel a calore, uti potest duplii remedio. Primum est subtrahere ligna uel materiam ignis ab igne ; secundum

¹ *Manipulus florū*, Elemosina K (Augustinus in epistola).

² *Manipulus florū*, Paupertas G (Ambrosius super illud Psalmorum : *increpasti superbos*) ; Ambrosius Mediolanensis, *Expositio psalmi CXVIII*, 3, 37 (M. Petschenig, CSEL 62, 1999, p. 62).

³ fastidio] fastigio P.

⁴ Angliam] Anglia P.

⁵ Non inventi.

⁶ execuuntur] obsecramus *Vulg.*

est quod materia ignis in toto uel in parte subtrahitur. Secundum hoc ignis uel extinguitur uel dirimitur. Secundum est quod se ipsum ab igne retrahat et elonget. Modo spiritus noster quamdiu manet in carne habet focum, id est |64va| fomitem peccati ualde prope se. Jeronimus¹ : « Pergamus nobiscum inimicum, id est carnem portamus, uinum et adolescentia duplex incendium uoluptatis. » Ideo si uult uitare peccati incendium, primo debet subtrahere materiam ignis. Unde Jeronimus² : « O ignis infernalis luxuria cuius materia gula, cuius flamma superbia, cuius sintille praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis inopia, cuius finis gehenna. » Si materia ignis luxurie est gula, oportet uolentem extinguere ignem luxurie uel dirimere ardorem concupiscentie, subtrahere gulam, facere abstinentiam. Ysidorus³ : « Ciborum saturitas carnis temptatio saturitati semper libido adiuncta est aqua ieiunio libido superatur. » Verum est quod abstinentia sic debet esse moderata ut ignis luxurie extinguatur set caro non occidatur et ideo non debet materia ignis subtrahi ex toto, dicente Gregorio XXX Mor.⁴ : « Per abstinentiam carnis uitia extinguenda sunt, non caro. » Necessa est ut continue arcem quisque teneat quatinus non carnem set uitia occidat. Spe enim dum in illa hostem insequimur etiamque diligimus, trucidamus et spe dum carni parcimus ad prelum hostem nutrimus. Secundum ueritatem fouere curiose carnem est nutrire hostem. Ideo ad Rom. (13, 14) : *curam carnis ne feceritis in desideriis.* Secundum remedium est retrahere se ipsum ab igne. Non enim sufficit materiam subtrahere, materiam ignis abstinendo a carnibus desideriis, nisi mens retrahat se a uiciis et |64vb| cogitationibus malis et uanis desideriis. Gregorius⁵ : « Incassum per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis motibus dimissa mens uitiis dissipatur ». Figura ad hoc, Ex. 12 (48) et Num. 22, in Ex. dicitur : *si quis peregrinorum in nostram uoluerit transire coloniam circumdatur⁶ prius omne masculinum erit*, quia similis sicut indigene terre eadem⁷ lex erit, indigene et coloni qui peregrinatur apud nos, et Num. IX (14) dicitur : *Dei preceptum idem erit apud uos tam aduene quam indigene.* Utrobius patet quod circumcisio erat omnibus⁸ tam aduenis quam indigenis. Hoc figuratum significat quod non solum debemus circumcidere carnem que est indigena, resecando ab ea carnales delicias et facta exteriora, set etiam debemus circumcidere aduenam, id est spiritum, resecando mala desideria et cogitationes uanas, prima Pe. II (1, 13) : *succinti lumbos mentis uestre sobrios et perfecte sperante in eo qui in uobis offertur gratiam.* Sequitur (1, 14) : *non configurati prioribus ignorauie uestre desideriis set qui uocauit nos sanctos etc.* Contra multos qui propter ypocrisim et uanam gloriam abstinent a cibis uel propter uerecundiam aut impotentiam abstinent a turpibus factis, quorum tantum

¹ *Manipulus florū*, Caro siue corpus C (Hieronymus in epistola) ; Hieronymus, *Epistulae*, XXII, 8 (I. Hilberg, CSEL 54, 1996, p. 154).

² *Manipulus florū*, Luxuria L (Hieronymus in epistola).

³ *Manipulus florū*, Abstinentia AF (Isidorus II libro super soliloquiorum).

⁴ Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, XX, 41 (M. Adriaen, SL 143A, 1979, p. 1060).

⁵ *Manipulus florū*, Abstinentia P (Gregorius in Pastorali) ; Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, III, 19 (B. Judic et al. SChr 382, 1992, p. 378).

⁶ [circumdatur] circumcidetur *Vulg.*

⁷ eadām *P.*

⁸ omnibus] omnis *P.*

mens non abstinet a uiciis et desideriis malis de quibus dicit Ysidorus¹ : « Qui cibis abstinent et mala agunt, demones ymitantur. » Culpa Adem et cibus deest, ideo Gregorius in collecta² : Pater autem, familia tua que se « affligendo carnem ab alimentis abstinent sectando iustitiam a culpa |65ra| ieunet. » Utrumque circumcisio[n]em indigene et aduene, carnis et mentis, suadet Apostolus ad Tytum secundo (12) : *erudiens nos ut abnegantes impietatem et secularia desideria, quantum ad circumcisio[n]em mentis, iuste et pie uiuamus in hoc seculo, quantum ad circumcisio[n]em carnis, exspectantes beatam spem et aduentum glorie magni Dei.* Ad quod nos perducat.

¹ *Manipulus florum*, Abstinentia AE (Isidorus super Amos prophetam) ; Isidorus Hispalensis, *Sententiarum libri III*, II, 14, 8 (PL 83, 652 A).

² Corpus orationum, SL 160F, oratio 4492 et 4542.

SERMON 24

Cinquième dimanche après Pâques.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 65ra-68va.

Plan :

Prothème.

Thème – Ce que l'on obtient en demandant l'aumône. Le danger du désir inassouvi :

- a. le cœur ne peut être rassasié par la chair
- b. ni par les richesses
- c. ni par les honneurs.

Division – Le temps de la quête est venu.

I – Faire la quête. Exemple de ceux qui obtiennent un bénéfice ecclésiastique en cour de Rome, Bibl. Apost. Vatic., Borgh. 247, f. .

Division 2 (Matth. 7, 7) : la cour du Seigneur :

- a. On n'en revient pas les mains vides.
- b. Modalités de la rétribution.
- c. La porte d'accès.

F. 65ra : *Petite et accipietis ut gaudium uestrum sit plenum*, Jo. 16 (24).

[Prothème] Crisostomus¹ dicit quod « petentis negligentia reprehenditur, ubi de dantis misericordia non dubitatur ». Hic autem non dubitatur de miseria dantis quia dicitur : *petite et accipietis*. Ideo ne reprehendamur de petendi negligentia, requiramus matrem gratie etc.

[Thème] *Petite* etc. Apud mendicantes religiosos tempus messis et uindemiarum uocatur tempus questarum : yminente illo tempore, questor quilibet preparat sibi saccum, si facit questam de blado, dolium si de uino. Set inter questores est talis differentia quod quidam ostiatim mendicant, petunt indifferenter ab omnibus ; alii mendicant ostiatim set petunt a paucis et solum diuitibus. Ille qui ostiatim mendicat recipit in dolio suo multa genera liquorum, quia enim quilibet a quo petit non potest uel non uult replere dolium suum totum, ideo unus ponit in dolio suo modicum de uino albo, alias ponit parum de rubeo, tertio ponit acetam, quartus ceruisiam, quintus ponit raptum, sextus uinum aquaticum. Totum est ibi mixtum set qui petit a diuite potente et uolente replere dolium suum totum, ille, inquam, in dolio non recipit nisi uinum |65rb| purum. Hoc ideo dixi quia in hac uita presenti omnes sumus questores. *Non enim habemus hic manentem ciuitatem set futuram inquirimus* (Hebr. 13, 14). Ergo questores sumus, dolium quod questor quilibet potest implere est cordis

¹ *Manipulus florū*, Petitio G (Crisostomus super illud Matthei : *petite et accipietis*).

desiderium quia quilibet appetit repleri, nec mirum quia *beatus uir qui impleuit desiderium suum*¹ (Hebr. 26, 5). Set inter nos questores est talis differentia quod quidam sunt qui petunt ab hiis qui dolium replere non possunt, illi scilicet qui petunt a carne delicias, a mundo honores et diuitias. Hoc patet discurrendo per singula.

[a] Primo si petis et appetis carnis delicias, nulla delectatio carnis potest replere desiderium cordis. Hoc patet in experimento sensibili, modicum de lacte in olla accensa et bulliente uidetur quandoque ollam replere, quod tamen secundum ueritatem non facit et ollam exit et uacuam ollam derelinquit. Modicum de lacte in olla accensa et bulliente est modica et momentanea delectatio carnis, in corde accenso igne luxurie et ardore concupiscentie estuante. Hec est olla pulmenti in qua puer Helysei posuit colloquintidas agri, de quo, cum gustassent, socii clamauerunt : *mors in olla uir Dei*, 4 Reg. XIII (4, 40). Colloquintida secundum glosam² est cucurbita minor quam sit illa que crescit in ortis et est ualde amara. Hec colloquintida est delectatio carnarium uoluptatum minor in comparatione quam sit illa que crescit in ortis deliciosis animarum sanctarum, hoc est ualde amara sicut patet per effectum quia clamauerunt socii : *mors in olla* etc. Bis dicitur propter mortem corporis |65va| in ollam sepulti, que est mors prima, et mortem anime in olla inferni, que est mors secunda. Modicum ergo de lacte in olla accensa et bulliente modica et momentanea delectatio carnis, quamvis in corde accenso igne luxurie et ardore concupiscentie estuante, licet ad horam uideatur ollam cordis implere et satiare, secundum ueritatem non replet nec satiat, ymmo totaliter ollam ferae et euacuat eam. Dicit Jeronimus³ : « O ignis infernalis luxuria cuius materia gula, cuius flamma superbia, cuius sintille praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis inopia, cuius finis gehenna. » De hoc lacte dicitur figuratiue libro Judic. V quod Jahel qui interpretatur⁴ ceruale coniugium Sisara *aquam petenti dedit lac* (Judic. 5, 25) et sic ipsum finaliter interfecit. Petenti aquam, id est refrigerium et solacium, caro dat lac, id est dulcedinem misere delectationis, que tandem ad supplicium eternum perducit. « Momentaneum est quod delectat, eternum quod cruciat⁵. »

[b] Si secundo petis et appetis mundi diuitias, adhuc omnes diuitie mundi non possent replere dolium cordis tui. Hoc patet sic : philosophus dicit quod dolium non potest adeo repleri cineribus quin tamen fere possit capere de aqua cum eis quam sine eis. Diuitie operantur cineribus et ualde proprie ; cineres enim congregantur et disperguntur per duo instrumenta contraria. Congregantur enim et coaceruantur in unum cum quodam instrumento manuali recurvo. Econtra cum sufflatorio propter uentum euolantur. Sic diuitie congregantur per duo contraria uicia. Dicit Bernardus⁶ quod « auaritia et appetitus laudis sibi inuicem aduersantur |65vb| et quod hoc congregat illa dispergit. » A auaritia facit colligere et congregare diuitias, et tamen hoc reddit adeo manum curuam quod nec amor Dei nec

¹ desiderium suum] faretram suam *Vulg.*

² Glossa, II, p. 147.

³ *Manipulus flororum*, Luxuria L (Hieronymus in epistola).

⁴ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 100.

⁵ Caesarius Arelatensis, *Sermones Caesarii uel ex aliis fontibus hausti*, 149, 4 (G. Morin, SL 104, 1953, p. 611).

⁶ Gaufridus Clarevallensis, *Declamationes de colloquio Simonis cum Jesu*, IV, 4 (PL 184, 439D).

comparatio pauperum Christi potest aperire eam, set econtra quod congregat manus curua auaritie dispergit sufflatorium uentus inanis glorie. Hoc facit appetitus uane laudis quod ille etiam qui in dimidio anno uix uellet dare dimidium solidum pauperibus non ueretur expendere¹. In pompis et uanitatibus sic dispergit sufflatorium uentus inanis glorie quod congregat curua manus auaritie. De cineribus istis figuratiue dicitur libro Numerorum (19, 9) quod sacerdos qui cineres colligebat uir mundus² erat, cineres sunt memoralia ignis reliquie crematorum in igne. Cineres ergo quas sacerdos colligit sunt pecunie quas uir ecclesiasticus percipit, que non sunt aliud quam memoralia relicta uiris ecclesiasticis ab illis qui non cremantur in igne purgatorium, ut habeatur memoria de eis, Job 3 (13, 12) : *memoria uestra comparabitur cineri*. Sacerdos qui cineres istos congregat immundus est, quia incomparabiliter est maius peccatum in uiro ecclesiastico congregare diuitias quam in layco, cum non habeat successorem nec dominium set administrationem solum. Si diuitie cineres sunt, sicut cineres non possunt replere dolium, sic nec diuitie satiant cordis desiderium, *auarus non implebitur pecunia* etc. (Eccle. 5, 9).

[c] Si tertio petis et appetis honores mundi nec ista replent dolium cordis tui, quod patet sic : uentus quamuis faciat uesicam inflari, ipsam tamen perfecte repleti non potest |66ra| nisi uesice orificium sit ligatum, aperto orificio, uesica non retineret uentum. Omnis honor mundanus uentus est : *uanitas uanitatum et omnia uanitas* dicit Eccles. (Eccle. 1, 2) etc. Vesica cuius orificium non est ligatum set apertum est adhuc ad uentum attrahendum et recipiendum, est cor humanum cuius desiderium non est terminatum, quin semper plus et plus appetat honorem mundanum. Je. 2 (24) : *in desiderio anime sue attraxit uentum*. Ventus iste bene facit uesicam inflari. Facit cor hominis in superbiam eleuari, in cuius figura dicitur Judit. I (7) quod *exaltatum est cor Nabugodonosor et cor eius eleuatum est*. Nabugodonosor interpretatur³ prophetia laguncule anguste. Laguncula angusta est cordis uesica quod, quamuis sit angusta et modica, tamen potest inflari quidem set non potest uento repleti, non potest mundi honoribus satiari. Ecc. 14 (Eccli. 14, 9) : *insatiabilis est oculus cupidi*.

Sic habeo probatum per singula quod qui petit a carne delicias, a mundo honores et diuitias quasi ostiatim mendicat, unde quia petit ab hiis qui cordis dolium replere non possunt, ideo non habet in cordis dolio uinum purum sine mixtione alicuius alterius liquoris, non habet uerum et perfectum gaudium sine mixtione doloris. *Risus dolore miscebitur et extrema gaudii luctusi occupat* (Prou. 14, 13). Sine dolio tali⁴ totum est mixtum, confusa sunt hec omnia, spes, metus, meror, gaudium. Si uis ergo habere plenum dolium de uino puro, debes a solo diuite petere qui possit et uelit totum dolium replere. Diues iste |66rb| est *Dominus omnium diues in omnes qui inuocant illum*, in Ro. X (12). Ipse est *qui replet in bonis desiderium* (Ps. 102, 5). Solus iste ponit in cordis dolio uerum et purum

¹ expendere] ose in liber add. P.

² uir mundus] immundus P.

³ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 117.

⁴ tali] talis P.

gaudium sine admixtione doloris, dicente Bernardo¹ : « Quidem illud est summum et uerum gaudium quod non de creatura set de Creatore concipitur, quod cum acceperis, nemo tollet a te cui aliunde comparatur omnis iocunditas meror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce etc. »

[Division] Resumo que dixi superius et concludo. Duxi primo quod ymiente tempore questarum, quilibet parat dolium suum ad questandum. Duxi secundo quod nos omnes sumus questores. Duxi tertio quod dolium quod quilibet petit repleri est cordis desiderium quod quilibet repleri appetit. Addo quarto quod nunc yminet nobis tempus questarum, dies Rogationum. De hoc tempore loquitur sapiens in Ecclesiastico ubi dicit (Eccle. 3, 1) : *omnia tempus habent*. Sequitur (3, 5) : *tempus acquirandi*. Ymminente ergo isto tempore questarum, quilibet nostrum debet habere paratum cordis dolium ad questandum et rogandum. Ps. (56, 8) : *paratum cor meum Deus* etc. Et ad hoc monet nos Christus in euangelio hodierno dicens (Joh. 16, 24) : *usque modo non petistis quicquam in nomine meo*. Set modo tempus questarum incipit : *petite ergo et accipietis ut gaudium uestrum* etc., quasi dicat : paratus sum implere dolium. In quibus uerbis Saluator primo egentibus imperat questum curiosum, *petite*, ut manibus conferat fructuosum conquestum et mentibus ingerat festum gaudiosum, *ut gaudium* etc.

[I] Circa primum sciendum quod illi qui uadunt ad curiam ut impetrant gratias |66va| a summo pontifice uocantur romipeta. Romipete sunt qui romanam curiam uel romanum pontificem petunt. Summus pontifex ad quem spectat gratias concedere et beneficia conferre Christus est, qui assistens pontifex futurorum bonorum, ad Heb. (Joh. 1, 17) : *gratia et ueritas per Jhesum Christum facta est*. Huius summi pontificis curia est presens ecclesia. Curia dicitur a cura, ideo celestis patria non dicitur curia quia cantamus² de ea : « O quam iocunda curia que cure prorsus nescia. » Set curia proprie loquendo est presens ecclesia cuius beneficiis est annexa maxima cura. Ecc. (Eccle. 4, 4) : in hoc supposito mundo *uanitas et cura superflua est*. Ab ista cura dictus est ille nobilis de curia Joseph ab Arimathia qui petuit. Arimathia interpretatur³ uigilia donationis doni, hoc est presens ecclesia que non est aliud quam uigilia illius magni festi in quo exspectamus donationes doni. Unde sicut ille peruerit ordinem debitum qui ponit festum ante uigiliam, sic ille peruerit ordinem debitum qui festa et gaudia uite presentis appetit, set ille debitum ordinem seruat qui dona glorie et gaudium futurum exspectat. *Delectare in Domino et dabit tibi petitiones cordis tui*, Ps.(36, 4). Ad hanc curiam et hunc pontificem debet accedere omnis romipeta qui uult gratiam impetrare. Hoc figuratum fuit in Dan. VI (7) ubi *decreto imperatoris exit et edictum* ut nullus petitionem peteret quantumcumque nisi a Dario rege. Darius interpretatur⁴ fertilis. Rex Darius ergo est rex regum cuius curia |66vb| est ita fertilis quod in ea

¹ *Manipulus florū*, Gaudium N (Bernardus in quodam sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Epistulae*, 114, 1 (SBO, VII, p. 292).

² Adam de Saint-Victor, *Sequentiae*, cap. 34 (de omnibus sanctis) (PL 196, 1528A).

³ *Non inveni*.

⁴ *Non inveni*.

omnis qui petit accipit et qui querit etc. (Luc. 11, 10). Set quod decretum imperatoris exigit¹ ut quilibet peteret a Dario rege in hoc figuratiue significatur illud quod primum tangebatur in themate, ubi dicebatur quod Saluator egentibus imperat curiosum questum, ecce imperatoris edictum. Simile decretum et edictum ponitur in Luca (11, 9) et Mt. (7, 7) ubi dicitur : *petite et dabitur uobis, querite et inuenietis, pulsate et aperietur uobis.* In quibus uerbis apparet quod curia summi regis non est in curia set curialis ualde propter tria. Primo quia ab ista curia non redit uacula manus a munere : *petite et dabitur uobis.* Secundo quia hec curia cuiusque reddit sua uolenti perdere : *petite et accipietis.* Tertio quia isti curie obedit ianua cum leui uerbere : *pulsate etc.*

[a] Circa primum nota quod romipeta, nisi uelit de curia uacuus redire, debet facere ista tria, primo petitiones apud se formare et in scriptis redigere, secundo cedulam scriptam diligenter inspicere et eam corrigere, ne aliud sit in ea quod debeat summo pontifici displicere, tertio petitiones scriptas et diligenter correctas referendario summi pontificis presentare. Dixi iam quod nos omnes sumus romipete et ideo quilibet nostrum, nisi uelit de curia Christi uacuus redire, debet per ordinem hec tria facere, primo petitionem deuote orationis apud se formare et scribere eam in papiro cordis, Je. 29 (31, 33) : *in uisceribus et corde scribam eam.* In curia enim Christi nulla petitio |67ra| admittitur nisi redigatur in scriptis. Oratio uocalis ibi non exauditur nisi assit accensio et deuotio mentis. Ita dicit Ysidorus² : « Oratio cordis est, non labiorum. Neque enim uerba deprecantis Deus [intendit], set orantis cor aspicit. Melius est in silentio orare corde sine sono uocis quam solis uerbis sine intuitu mentis. » Hoc modo orabat illa bona Anna, I. Reg. I (13), de qua dicitur quod *Anna loquebatur in corde suo tantum que labia eius mouebantur et uox penitus non audiebatur*, cui dixit Hely (I Reg. 1, 17) : *uade in pace et Deus Israel det tibi petitionem quam rogasti eum.* Ratio huius est calamus cum quo tangitur psalterium, numquam reddit melodiosum et delectabilem sonum nisi psalterizans est lingua psallentis Deo et orantis. Ita dicit Ps.(44, 2) : *lingua mea calamus scribe.* Calamus lingue numquam reddit in auribus Dei delectabilem sonum nisi cor psallentis sit orationi attentum. Gregorius³ : « Illam orationem Deus non exaudit cui homo quando psallit non accedit. » Quod canonicus uel religiosus psallat in choro et cor eius sit in theatro, tale psalterium non reddit coram Deo delectabilem sonum. Ita dicit Ysidorus⁴ : « Quid prodest strepitus labiorum ubi cor est mutum. Sicut enim uox sine modulatione est quasi uox porcorum, sic oratio sine deuotione est quasi mugitus boum. » Ergo primum quod debet romipeta facere petitiones apud se debet formare et eas in papiro cordis scribere iuxta dictum Augustini⁵ : « Hoc uersetur in corde quod profertur in ore. » Propter hoc Ps. (36, 4) significanter dicit |67rb| : *delectare in Domino et dabit tibi petitiones cordis tui.* Non dicit oris tui.

¹ exigit] exit P.

² *Manipulus florum*, Oratio BM (Isidorus de summo bono libro 1) ; Isidorus Hispalensis, *Sententiarum libri III*, III, 7, 4 (PL 83, 672 B).

³ *Manipulus florum*, Oratio AT (Gregorius in quadam homelia)

⁴ *Manipulus florum*, Oratio BL (Isidorus).

⁵ Augustinus Hipponensis, *Praeceptum*, II, 3 (L. Verheijen, I, 1967, p. 421).

Secundo debet cedulam scriptam corrigere. Cedula que debet corrigi antequam petitio porrigatur summo pontifici, ne aliud indisciplinabile sit in ea, est conscientia propter duo. Primo quia prudens et subtilis clericus, quando compilauit de capite proprio librum unum etc., ut habes in sermone¹ *Mater Jhesu Maria*. Secundo quia alia petitio non esset accepta [a] Deo. Scimus enim quia peccatores Deus non audit. Dicit enim Augustinus² quod plus placet Deo latratus canum, mugitus bouum, gurgitus porcorum quam cantus clericorum luxuriantium. Rationem reddit Gregorius³ in Pastorali : « Talis, inquit, requirendus est ad orandum qui sit ydoneus ad placandum quia cum hiis qui displicet ad intercedendum mittitur irati animus ad deteriora prouocatur. » Set quando cedula conscientie est bene correcta, tunc oratio est [a] Deo accepta nec reuertitur uacua. Figuram habemus ad hoc Gen. 34 (12) ubi dicebat Sichen ad Jacob et ad filios : *quecumque statueritis dabo, augete dotem et munera postulate libens tribuam quod petieritis, tantum date mihi puellam*. Uxorem Sichen uolens habere puellam uxorem Christus est qui uult sponsam suam fidelem, scilicet puram et mundam : *non habentem maculam neque rugam*, ad Eph. V (27), hoc supposito quod habeat per puellam uxorem. Ipse paratus est ad concedendum⁴ omnem petitionem, Mt. XI (Marc. 11, 24) : *dico uobis quecumque orantes petitis et ueniet uobis*.

Debet tertio petitiones formare et referendario pape porrigere. Secundum ueritatem |67va| ille qui in propria persona non potest ad summum pontificem accessum habere debet petitiones suas referendario porrigere. Officium referendarii est presentare eos summo pontifici. Referendarii qui habent representare eos summo pontifici Christo. Petitiones istorum, preces populi, sunt pauperes mendici et parui ecclesiastici. Primo pauperes sunt referendarii diuitum, Ecc. XXIX (Eccli. 29, 15) : *conclude elemosinam in sinu⁵ pauperis et ipsa pro te exorabit*. Crisostomus⁶ dicit quod elemosina amica Dei consistit et semper ei propinqua pro quibuscumque uoluerit facile munus gratie impetrabit. Diuites non habent accessum ad Christum nisi pauperes mendici presentent petitiones eorum. Ita dicit Augustinus⁷ : « Quam frontem habes petendi Deum tuum qui non cognoscis patrem tuum ? Ille nichil portat, tu nimis oneratus es, da ei de hoc quod nimis habes et illum pacis et onus tuum. » Huic ergo referendario debes petitiones tuas porrigere. Juxta illud Luc. (6, 30) : *omni petenti tribue*. Secundo referendarius qui habet ex officio suo petitiones populi presentare est sacerdos cui incumbit ex officio orare pro populo et qui propter hoc habet beneficium. Ita dicitur prima questio primo⁸ quod « sacerdotes pro populo interpellant et populi peccata comedunt, quia suis precibus ea delent atque

¹ Sermon 71.

² *Manipulus florum*, Oratio K (Augustinus).

³ *Manipulus florum*, Oratio AO (Gregorius in pastorali) ; Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, I, 10 (B. Judic et al., SChr 381, 1992, p. 164).

⁴ ad concedendum] concedere *P.*

⁵ *sinu*] corde *Vulg.*

⁶ *Manipulus florum*, Elemosina AL (Crisostomus super Mattheum sermone 9).

⁷ *Manipulus florum*, Elemosina D (Augustinus de uerbis Domini sermone 5) ; Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 61, 8 (PL 38, 412).

⁸ *Decretum Gratiani*, II, causa 1, q. 1, c. 91 (E. Friedberg, 1879, p. 391).

consumunt. » Quod sacerdos habeat officium referendarii, hoc fuit figuratiue dictum, Ex. ia (18, 19) ubi dictum est Moysi : *esto tu populo in hiis que ad Deum pertinent ut referas que dicuntur ad eum.* Moyses¹ urgens² liniens est sacerdos |67vb| qui debet Deum linire et placare deuota oratione. Jeronimus³ : « Oratio Deum leuit set lacrima cogit. » Mater enim tenere diligens filium non permittit eum diu plorare, lacrima filii pungit cor pie matris in tantum quod etiam offensam remittit et dat ei si aliquid petit. Christus multo tenerius nos diligit et dilexit quam aliqua mater filium dilexerit, sicut mater unicum diligit filium etc. Ideo lacrima orantis pungit cor Salvatoris in tantum quod, si uidet nos plorantes, et offensam condonabit et quod petimus non negabit. *Si uos, inquit, cum nostis bona data dare filiis uestris, quanto magis pater uester celestis dabit ipsum bonum potentibus se* (Luc. 11, 13). Moyses ergo unguens⁴ uel liniens sacerdos est qui habet officium referendarii, quia dictum est sibi : *esto tu populo* etc. ut referas quod autem propter hoc scilicet propter officium sit sibi datum beneficium. Figuram habemus in libro Numerorum XVIII. *Illud erit Aaron et Hur⁵ uobiscum si quid⁶ natum fuerit questionis refertur ad eos* (Ex. 24, 14). Dictum est, inquam, sibi (Num. 18, 8) : *ecce dedi tibi et filiis tuis custodia.* Custodiam dicit, non damnum uel poenam nudam. Unde Bernardus⁷ : « Bona ecclesiarum patrimonia sunt pauperum. » Sequitur : et omnia que sanctificata sunt a filiis Israel tradidi tibi et filiis Israel pro officio sacerdotis, si beneficia data sunt pro officio in detrimentum anime sue. Recipit beneficium quicumque non exercet officium. Set heu nonne dicitur primo Reg. (2, 12-13) quod *filii Hely filii* |68ra| *Belial nescientes officium sacerdotis ad populum* set bene sciebant officium populi ad sacerdotem. Dicebant (I Reg. 2, 16) : *dabis mihi alioquin tollam ui.* Set nesciebant officium sacerdotis ad populum. Utinam non sint hec tales multi. Hoc de primo principali.

[b] Dicebatur secundo quod beata curia cuicunque reddit sua uolenti perdere : *querite et inuenietis.* Rex in cuius regno sunt nundine, ut mercatores attrahat ad nundinas regni sui, quandoque facit edicto puplico proclaimari quod quicumque mercator ueniens ad nundinas suas uel inde rediens spoliatus fuerit seu aliquid perdiderit, integre restituetur ei. Christus comparat presentem ecclesiam regno in quo sunt nundine mercatorum. *Simile est regnum celorum homini negotiatori* etc. (Matth. 13, 45). Secundum ueritatem in solo regno militantis ecclesie sunt nundine mercatorum. Hic enim est tempus et locus merendi. Alibi non nundine huius regni sunt optime quia quilibet mercator, si uelit, potest hic lucrari, nullus nisi uolens potest demereri, dicente Augustino⁸ quod « peccatum adeo est uoluntarium quod, si non est uoluntarium, non est peccatum », ex quo sic quilibet mercator potest hic secure merces exponere, potest sine periculo perdendi quod habet, pro Christo exponere. Ita dicit

¹ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 141 et 152.

² urgens] unguens P.

³ *Manipulus florum*, Lacrima F (Hieronymus super Isaiam).

⁴ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 73.

⁵ Hur] huc P.

⁶ si quid] scilicet P.

⁷ Ps.-Augustinus Belgicus, *Sermones ad fratres in eremo commorantes*, 21 (PL 40, 1269).

⁸ Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, XIV, 27 (K.-D. Daur, SL 32, 1962, p. 204).

parabola allegorica (Matth. 13, 46) : *inuenta una preciosa margarita* etc. Margarita que generatur intra concham ostree marine ex rore celesti Christus est in utero Marie uirtute Spiritus Sancti. Hec margarita debet queri questu deuote orationis in nundinis huius regni. Juxta illud (Is. 55, 6) |68rb| : *querite Dominum dum inueniri potest et inuocate eum dum prope est* etc. Hac margarita inuenta, homo debet omnia uendere et eam emere, debet propter Christum omnia relinquere. Ita dictum est illi (Matth. 19, 21) : *si uis perfectus esse, uade et uende omnia* etc. Iterum Augustinus¹ : « Si uis esse mercator optimus, fenerator egregius, da quod non potes retinere ut accipias quod non poteris amittere. Da modicum ut accipies centuplum. Da temporalem possessionem ut conqueris hereditatem eternam. » Illud etiam debet nos allicere ad mercandum ad nundinas istas sequendum quia rex noster Christus in euangilio fecit proclamari, ymmo ipsemet proclamauit, quod quicunque in nundinis suis aliquid perdiderit ipse integrum restituet ei. *Qui inquit perdiderit animam suam propter me inueniet eam* (Matth. 10, 39). Frequenter contingit quod per unum denarium querendo unum aureum inuenit. Omnia bona mundi etiam uita corporis ad uite eterne respectu denarii diurni qui repromittitur premium beatis et unus modicus denarius respectu aurei, et ideo qui propter Christum animam, id est uitam suam, perdidit, denarium aureum, id est uitam eternam, inuenit. Potest dicere talibus : congratulamini quia in nomini dragmam quam perdideram, hoc de secundo.

[c] Dicebatur tertio quod in hac curia obedit ianua cum leui uerbere : *pulsate* etc. Qualiter oportet pulsare ostium hora prandii illum qui eucenium² portat, aliter illum qui nichil apportat. Portanti enim exenium cum leui uerbere aperit ostium set illi³ qui uenit uacua manu, nisi fortiter |68va| uerberet ostium et cum tedio pulset, non aperitur libenter ostium per quod intratur ad prandium celestis curie Christus est (Joh. 10, 9) : *ego, inquit, sum ostium per me si quis introierit saluabitur*. Sequitur : *et pascua inueniet pulsare*. Ad ostium [aperiendum] non est aliud quam precare Deum, dicente Augustino⁴, « quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. » Ostium illud non aperitur libenter alicui si habeat manum uacuam, ubi portat secum extrellum opus pium, opus meritorium. Exemplum in parabola X uirginum. Nota totum et dilata et quere concordancias. Dicit Petrus Rauennas⁵ in quadam epistula : « Hic apud Deum pietatis ianuam qui uiscera miserie proximo indigenti non aperit. »

¹ *Manipulus florū*, Elemosina K (Augustinus in epistola).

² exenium] eucenium P.

³ illi] ille P.

⁴ *Manipulus florū*, Oratio M (Augustinus ad Diascorum) ; Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 130 (A. Goldbacher, CSEL 44, 1904, p. 62).

⁵ *Manipulus florū*, Elemosina A& (Petrus Raueniensis in quadam epistola).

SERMON 25

Cinquième dimanche après Pâques.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 68va-69rb.

F. 68va : *Petite etc.* (Joh. 16, 24). Inter fallacias sophisticorum quas Philosophus enumerat, una est fallacia petitionis principii. Unde secundum Philosophum¹ petere principium fallacia est. Set petere non secundum eum finem uel terminum fallacia non est, ymmo secundum ipsum unaquaeque res petit et appetit finem suum et tunc appetitus perficitur et satiatur ad plenum, cum res attingit finem suum. Juxta illud Sap. (Eccle. 7, 9) quod *melior est finis orationis quam principium*. Hoc ideo dixi quia multi ualde fuerunt decepti et decipiuntur adhuc per fallaciam petitionis principii. Quid est petere principium ? Appetere principatum est fallacia. Hoc certe sit, dicit Crisostomus² quia « quicumque desiderat principatum in terra inueniet confusionem in celo. Nec inter seruos computabitur qui de [68vb] primatu certauerit ». Hoc apparuit in illo sophista Lucifero qui primo hac fallacia est usus. Ipse enim de celo cecidit quia primatum appetit, principium petiit. Jo. VIII (44) : *ille homicida erat a principio et in ueritate non stetit*, ideo fallaciam commisit. Dicit Bernardus³ quod « ambitio angelum felicitate priuauit, appetitus scientie hominem immortalitatis gloria spoliauit. Non otiantibus deflexerat, non mandatorum destituerat obliuio set promissi honoris ambitio illicebrosa decipit. » Ergo fallacia est hoc quod ita sit adhuc. Ostendo exemplo sensibili : ille qui uidens umbram insequitur et nititur apprehendere eam decipitur et fallitur, quia conditio umbre est quod ipsa semper fugit insequentem et insequitur fugientem. Modo sapiens qui comparat illum qui petit principium et appetit primatum, illo⁴ qui uidens umbram insequitur et nititur apprehendere eam, qui, inquit, *apprehenderit umbram et persecutur uentum* (Eccli. 34, 2). Dixi hodie mane quod primatus et honor glorie mundane non est nisi uentus. Ventus iste secundum Crisostomum⁵ habet conditionem umbre in hoc quod fugit insequentem et insequitur fugientem. Dicit⁶ enim quod « primatum honoris concupiscentie uanitas est, primatus enim fugientem se desiderat et desiderantem horret ». Et alibi poeta⁷ dicit quod hoc solum habet mundi gloria gloriosum quod sequentem fugit et fugientem insequitur. Quicquid hodie sit de facto, de iure tamen debet hoc esse quod primatus honoris insequeretur fugientem et fugeret insequentem, dicente [69ra] Gregorio⁸ in Registro clericorum quod « sicut inuitatus renuit, quesitus refugit, est sacris altaribus admonendus, sic qui ultro ambit uel importunius se ingerit procul

¹ *Non inueni.*

² *Manipulus florū*, Prelatio BR (Crisostomus homelia 25 super Mattheum).

³ *Manipulus florū*, Ambitio P (Bernardus in quodam sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones in Ascensione Domini*, 4, 5 (SBO, V, p. 141).

⁴ illo] ille P.

⁵ Cf. *Manipulus florū*, Cupidas O (Crisostomus homelia 9 super Mattheum).

⁶ *Manipulus florū*, Prelatio BS (Crisostomus super Mattheum), Humilitas AO (Crisostomus).

⁷ *Non inueni.*

⁸ *Manipulus florū*, Ambitio F (Gregorius in registro), Prelatio AD.

dubio repellendus. » Hoc aduertentes ambitiosi sophiste fingunt se frequenter honores fugere ut ad honores possint¹ attingere. Unde dicit Hugo de Sancto Victore²: « Quidam honores fugiunt ut honoribus obuient. Fingunt subesse ut possunt preesse. Sepe enim ut gloria acquiratur contempnitur et mundus ut optineatur relinquitur. » Hec omnia propria sunt sophiste, ergo fallacia sophistarum est principium petere, primatum appetere. Hac fallacia petitionis principium decepti fuerunt filii Zebederi, qui ut habetur in Mt., textus alias est in Mc. (10, 35) : dixerunt in Jhesum : *Magister, uolumus ut quodcumque petierimus facias nobis. Da nobis ut unus ad sinistram, alias ad dexteram tuam sedimus in gloria tua*, et quomodo petebant principium, Jhesus dixit eis : *nescitis quid petatis* (Marc. 10, 38), quasi dicat : decepti estis quia principium petitis. Talibus dicitur in canonica Jac. 4 (3) : *petitis et non accipitis eo quod male petatis*. Sicut qui sequitur umbram eam non apprehendit, sic habeo quod petere finem uel terminum fallacia non est, ymmo tunc appetitus satiatur ad plenum, cum res assequitur finem suum. Quid est petere finem aut terminum ? Presentia contempnere et illum solum appetere qui terminat appetitum et est finis desideriorum nostrorum. De huius petitione loquitor uerbum propositum : *petite et accipietis et gaudium uestrum plenum sit*. Ad quod nos perducat.

¹ possint] possunt P.

² *Manipulus florum*, Honor Q (Hugo).

SERMON 26

Sixième dimanche après Pâques.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 69rb-73rb.

Plan :

Thème – Usage de la langue maternelle et d'une langue étrangère. Comparaison avec le statut de l'homme :

- a. la filiation paternelle et maternelle
- b. on passe peu de temps sur terre, mais l'éternité au ciel.

Division

I – La liberté de parler

Division 2 (Eph. 4, 29) : comment bien parler :

- a. surveillance de l'usage des mots
- b. sens de la mesure
- c. parler de manière inoffensive.

F. 69rb : *Si quis loquitur quasi sermones Dei, I Pe. 4 (11).*

[Thème] Homo qui numquam exiuit nec exire desiderat patriam suam, parum curat loqui nisi linguam maternam, set ille qui in breui exiturus est patriam suam et moraturus continue quasi in terra extranea extranei sermonis et extranee lingue, ille, inquit, dimittit linguam maternam ut addiscat linguam terre illius qua est continue moraturus. Testimonium huius habemus in Joseph qui, dum intraret terram Egypti, linguam quam non nouerat audiebat. Set precipue ubi contingeret casus quod puer habens patrem et matrem alterius et alterius patrie, alterius et alterius lingue, in patria matris sue esset moraturus per unum diem tantum, in patria autem patris per totum residuum temporis, puer iste instrui deberet numquam [ad loquendum] linguam maternam set potius linguam paternam. Hoc ideo dixi quia quilibet nostrum habet patrem et matrem alterius et alterius patrie, alterius et alterius lingue, et iterum in patria matris sumus moraturi per unum diem tantum, in patria patris per totum residuum temporis.

[a] Hec omnia declaro per ordinem, primo quod sumus alterius et alterius patrie ratione patris et matris. Patet sic : mater enim communis omnium nostrum, a qua trahimus carnis originem, de cuius utero omnes recessimus, terra est. Unde in Ecclesiastico (40, 1) : *occupatio magna creata est hominibus etc. a die exitus [de uentre] matris ipsorum usque in diem sepulture*, in matrem omnium a quo accipimus breue documentum, quod scilicet nullus debet gloriari de nobilitate |69va| parentum carnalium quia filius unius regine non est natus de nobiliore matre, non est formatus de nobiliore materia quam filius paupercula uetule. Ergo inquam dictum Apostoli (I Cor. 1, 29) : *non glorietur omnis caro in conspectu Dei*. Ex alia parte pater communis omnium nostrum Deus est. Unde in Jo. (8, 41) : *nos ad fornicationem non sumus nati unum patrem habemus Deum*. Si terra mater nostra est,

ergo nostra patria ratione matris est mundus in Jo. (15, 19) : *uos de mundo non estis, si Deus pater noster qui in celis est.* Modo uidete si puer habens sic patrem et matrem alterius patrie uideret quod porcio hereditatis quem contigit eum ratione matris, uideret insuper quod ambas hereditates tenere non posset, uideret tertio quod pater et mater essent diuisi adiuicem et remoti quod non possent simul utroque manere. Fatuus est ualde nisi dimitteret matrem et hereditatem maternam ut maneret cum patre¹ et succederet in paterna hereditate. Recte sic est de nobis : porcio enim hereditatis quem contingit nos ratione patris est regnum celorum. Ps. (141, 6) : *porcio mea Domine sit in terra uiuentium.* Hereditas nobilissima est et preclara. *Hereditas mea preclara est mihi* dicit Ps. (15, 6). Porcio autem que nos contingit ratione matris est ista terrena substantia que modica est, ymmo nulla respectu hereditatis celestis. Unde Sap. (7, 8-9) : *diuitias nichil esse duxi in comparatione illius nec comparaui illi lapidem pretiosum* etc. Has autem duas hereditates unus et idem conuenienter tenere non potest. Jeronimus² : « Difficile, ymmo impossibile, ut presentibus et futuris quis fruatur bonis, |69vb| ut hic uentrem et illic mentem impleat, ut de deliciis ad delicias transeat, ut in terra et in celo sit primus, ut in utroque seculo appareat gloriosus. » Sic patet ex dicto Jeronimi quod non potest aliquis succedere in paterna hereditate nisi denuntiet hereditati materne. Unde in Luca (14, 33) : *omnis qui non renuntiauerit omnibus que possidet non potest esse meus discipulus.* Item pater noster et mater sic sunt diuisi et remoti quod qui stat corde et affectu cum matre et qui terrena diligit inordinate, diuisus est et remotus a patre, Jac. 4 (4) : *adulteri nescitis quod amicitia huius mundi inimica est Deo.* Si quis ergo uoluerit amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituitur. Et in prima canonica Jac. (I Jo. 2, 15) : *nolite diligere mundum nec ea que in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo.* Parabolam habemus ad hoc ualde propriam in filio prodigo qui, uolens exspectare successionem paternae hereditatis, dixit patri (Luc. 15, 12) : *da mihi porcionem substantie que me contingit.* Unde recedens a patre abiit in regionem longinquam, finaliter cepit egere. Hec parabola significat quod ille non exspectat successionem celestis hereditatis qui in presenti accipit porcionem substantie que contingit eum ratione matris. Unde talis a Deo recedit et tandem in regione umbre mortis egebit et paterna hereditate carebit. Qui uult ergo in hereditate celesti succedere debet renuntiare toti quod contingit ei ratione matris, exemplo Christi qui dixit (Luc. 9, 23) : *si quis |70ra| uult post me uenire abneget* etc. Secundum ueritatem Christus renuntiauit toti hereditati que contingebat ratione matris, pauper et egenus in mundo fuit. Je. (12, 7) : *reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam* etc. et tandem in isto tempore Ascensionis patriam maternam relinquit ut transiret ad patrem. *Relinquo mundum et uado ad Patrem,* Jo. VI (16, 28). Patet ergo primum scilicet quod alterius patrie sumus ratione patris et alterius ratione matris. Ex hoc statim concludo secundum scilicet quod aliud est ydioma paternum et ydioma maternum. Si enim terra mater nostra est et patria mater est mundus, patet

¹ patre] matre P.

² *Manipulus florum*, Prosperitas G (Hieronymus in quadam epistula) ; Hieronymus, *Epistulae*, 118, 6 (I. Hilberg, CSEL 55, 1996, p. 444).

quod loqui de terrenis et mundanis est loqui lingua materna. Jo. III (31) : *qui de terra est de terra loquitur*. Plus tamen, ymmo patris sit ueritas : *Pater sermo tuus ueritas est*, Jo. XVII (17), quia mendacium loqui non est loqui ydioma paternum set ydioma proprium et maternum, unde in Jo. (8, 44) : *cum mendacium loquimur, ex propriis loquimur*, set per oppositum, cum Deus pater noster sit, celestem loqui de celestibus et diuinis loqui sermones Dei, hoc est loqui ydioma maternum. Unde Jo. XIII (23) : *si quis diligit me, sermonem meum seruabit et Pater meus diligit eum*.

[b] Dixi secundo¹ quod in patria matris non sumus mansuri nisi per unum diem tantum etc. ut supra. Hoc probo sic : Scriptura uocat unum diem tantum totum spatium temporis ab ortu solis usque ad occasum. Gen. (1, 5) : *factum est uespere et mane dies unus*. Tota autem duratio hominis in hac uita presenti includitur, etsi uiueret |70rb| mille annis inter ortum natuitatis et occasum mortis. Ergo totum tempus uite presentis non est nisi spatium unius diei siue² mille anni aut tamquam dies hesterna que preteriit. Jeronimus³ : « Nimis longum est quod finem habet, eternitati comparatum, omne tempus breue est », et Augustinus⁴ : « Vita humana tota breuis est ab infantia usque ad decrepitam senectudem. Adam si adhuc uiueret et hodie moreretur, quid ille uite profuisset modo cogitare ? » Si reputaretur bene sollempnis fatuus qui thesaurum et garnisiones magnas faceret in loco ubi esset moraturus per unum diem tantum, nullam garnisionem uel prouisionem faceret in loco ubi esset mansurus per totum tempus residuum, certe sicut iam probauit quod in patria matris nostre sumus mansuri per unum diem tantum a solis ortu usque ad occasum. In patria autem patris nostri, hoc est in celo, per totum tempus eternum [mansuri sumus], ergo sollempnes fatui sunt qui thesauros magnos faciunt in mundo, nullum autem in celo. Mt. (6, 19) : *nolite thesaurizare uobis thesauros* etc. Talis fatuus erat diues ille, Luc. X (12, 19) : *anima mea multa bona habens reposita in annos plurimos*. Fecerat multas municiones ac si deberet multis annis uiuere et uicturus non erat nisi illa die, unde dictum est sibi : *stulte hac nocte* etc. Habeo igitur hec tria per ordinem declarata, quod quilibet nostrum habet patrem et matrem alterius et alterius patrie, secundo alterius et alterius lingue, tertio quod in patria |70va| matris sumus moraturi per unum diem tantum, in patria autem patris per totum residuum temporis. Verum est quod ante Passionem Christi homo numquam exiuerat patriam maternam nec dispositus erat set Christus ascendens in celum aperuit nobis uiam. Ideo esto quod nullus tunc curasset loqui nisi linguam maternam. De cetero tamen quicumque intendit uenire ad patriam claritatis eterne et ibi perpetuo manere, debet dimittere ydioma maternum ut ymitetur et loquatur ydioma paternum.

[Division] Hoc est quod predixi : *si quis loquitur quasi sermones Dei*. Ubi uidetur beatus Petrus tria uelle dicere : primo quod uerbum oris non est prohibitum nec impositum set indultum, non

¹ secundo] tertio *P.*

² siue] potentia *P.*

³ *Manipulus florū*, Tempus siue temporale D (Hieronymus super Hieremiam libro 2); Hieronymus, *Commentarii in Ezechielem*, IX, 30 (F. Glorie, SL 75, 1964, p. 424)

⁴ *Manipulus florū*, Vita humana presens I (Augustinus in quodam sermone); Augustinus Hippomensis, *Sermones*, XVII, 7 (C. Lambot, SL 41, 1961, p. 243)

enim precipit nec prohibet quod aliquis loquatur uel non loquatur set sustinet, *si quis loquitur*. Secundo uult quod non sit oppositum per uerbum abditum et occultum, hoc est ad uerbum mentis cui debet esse simile, alias esset falsum. Hec similitudo importatur per uerbum similitudinis, *quasi*. Tertio uult quod sit sale conditum bene compositum †, ideo dicitur *sermones*. Sermo dicitur quasi serens mores.

[I] Circa primum notandum quod prudens prelatus non imponit subdito sub precepto necessitatis duplex officium quorum unum impedit alterum ; uerbi gratia prior noster non imponit eidem fratri officium portarii et officium refectuarii quia officium portarii male compatitur officium reectorarii. Hora enim refectionis portarii indigent maiori custodia quam aliis horis set uerum est quod prior |70vb| bene promittit reectorarium certis horis facere officium hostiarii, horis scilicet illis quibus non impeditur officium reectorarii. Hoc ideo dixi quia lingua in ore habet duplex officium quorum unum impedit alium. Lingua enim, secundum Philosophum¹, contingit in duo opera nature, in gustum et loquela. Primum, scilicet gustus, est officium reectorarii quia gustus deseruit refectioni. Secundum, scilicet loqui, est officium hostiarii. Os enim est hostium per quod exeunt de corde cogitationes bone uel male. Mt. XV (18) : *que procedunt de ore de corde exeunt cogitationes male*. Modo sicut ad solum hostiarium pertinet ponere aliquos extra portam, ita ponere foras cogitationes cordis per ostium pertinet ad linguam. Lingua ergo est ancilla et hostiaria ad cuius uocem Petrus negauit Christum. Officium ancille est feces de domo eicere, id est per ostium lingue. Unde dicit Ambrosius in quodam sermone² : « Tenerum membrum est lingua et tamen uix teneri potest : substantia quidem infimum exemplum set usu magnum et ualidum inuenitur. Tenuis est et lata, ideo aptissimum euacuandis sordibus instrumentum. » Petrus ergo agnoscens ad uocem ancille, negans Christum qui ueritas est, significat hominem qui ueritatem scit et tenet mente, negat lingua et uoce. Habet ergo lingua duplex officium, officium reectorarii et hostiarii et unum istorum impedit alterum loquendo tam naturaliter quam moraliter. Naturaliter primo non est dubium quod |71ra| gustus loquela impedit et loquela gustum. Homo male loquitur quando habet os plenum. Moraliter et hoc est uerum quia hora refectionis ostium oris indiget maiori custodia quam aliis horis. In mensa non debet homo multum loqui. « Pauca in conuiuio loquatis », dicit Cato³ in principio libri sui, quia sic est quod unum officium impedit alterum, ideo natura sagacissima utrumque non posuit sub precepto necessitatis. Refectio enim necessaria est homini naturaliter uiuere uolenti, set loquela officium hostiarii non imponit, ymmo solum permittit illis dumtaxat horis quibus non impeditur officium reectorarii. Que autem sunt ille hore patet sic. Lingua de se deseruit refectorio quod mediante lingua homo habebit saporem in cibo. Quando ergo saporem tollit, quando est sermo turpis et malus sale gracie conditus quia talis officium reectorii non impedit, numquam lingua debet permitti exercere

¹ Non inveni.

² *Manipulus florum*, Loquacitas P (Bernardus in quodam sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones de diuersis*, 17, 5 (SBO, VI/1, p. 154).

³ Ps.-Cato, *Disticha Catonis*, 51 (E. Baehrens, *Poetae latini minores*, Teubner, 1881, vol. 3, p. 216).

officium hostiarii ut talem pro sermone foras emittit per ostium oris, in aliis autem casibus debet permitti. Et Eph. 4 (29) : *omnis sermo malus de ore uestro non procedat set si quis bonus erat ad edificationem ut det gratiam audientibus.* Ubi apparet quod ostium oris debet habere custodie strictam clausuram, *omnis sermo malus de ore uestro non procedat* ; modestie curtam mensuram, *set si quis bonus est* et non plus molestie nullam lesuram ut sit bonus ad edi[71rb]ficationem. Lignum enim lesum uel fractum non est aptum ad edificium facundie pulcrum picturam ut det gratiam audientibus.

[a] Circa primum nota quod in manerio regis aliter custoditur ostium camere, aliter ostium carceris. Ostium carceris clauditur malefactoribus et aduersariis ne possint exire, set ostium camere clauditur talibus intrare uolentibus. Spiritualiter quilibet probet, uir est quasi quoddam manerium in quo rex celestis mansionem facit. Unde post illud uerbum allegatum, Jo. 14 (23) : *siquis diligit me etc. et ad eum ueniemus et mansionem apud eum faciemus.* In hoc manerio est duplex ostium aliter et aliter custodiendum. Primum est ostium camere domini, ostium conscientie in qua Deus per gratiam cubat et habitat, illud est uoluntas, quod patet sic. Alie partes domus excepto ostio situate sunt immobiliter in locis determinatis. Ostium autem sic est mutabile¹ quod continue mutatur, aperitur enim et clauditur sicut a portario ducitur. Sic spiritualiter alie uires a se habent situs determinatos in corpore, uis auditiva in auribus, uisiua in oculis et sic de aliis. Voluntas autem in corpore situm determinatum non habet quia uirtus organica non est. Iterum inter omnes uires anime mutabilior et magis uolubilis est uoluntas, nunc enim per consensum aperitur, nunc per dissensum clauditur, sicut a portario ducitur. Portarius autem rationalis intellectus qui claudit et nemo aperit² et [71va] nemo claudit. Secundum ostium est os, sicut supra dixi, quia que procedunt ex ore ueniant etc. et istud est ostium custodie carceralis. Ps. (140, 3) : *pone Domine custodiam ori meo et ostium circumstantie labiis meis.* Hoc duplex ostium fuit figuratum, 3 Reg. (6, 34) ubi dicitur quod in ingressu templi *duplex ostium erat et se inuicem tenens aperiebatur. Templum Dei sanctum est quod estis uos* (I Cor. 3, 17). In hoc templo est duplex ostium quod se inuicem tenens aperitur quia ostium oris aperit ad loquendum et clauditur ad tacendum ad imperium uoluntatis. Primum ostium est uoluntas, scilicet tamquam ostium camere domini debet claudi malis cogitationibus ne possint intrare per assensum. In cuius figuram dicitur de Eze. XLIIII (2) : *porta hec clausa erit et non aperietur et uir non transibit per eam.* Causa est quia ex quo magnus dominus retinuit totum hospitium in manu sua, non permittitur ibi aliquis hospitari, nisi sit de familia. Christus qui est *magnus dominus et magna uirtus eius* in Ps. (146, 5), totum hospitium cordis pro se retinuit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua* etc. (Luc. 10, 27). Et ideo nullus debet recipi in hospitio cordis per affectionem que sit contra uoluntatem istius domini. Omnia autem ista possunt diligi in ordine ad

¹ mutabile] uoluble P.

² aperit] aperit add. P.

ipsum set sine ipso nichil est diligendum, dicente Augustino¹ : « Minus te amat etc. » Secundum ostium² [est], scilicet tamquam ostium carceris claudi debet cogitationibus malis ne exire possint. Ideo dictum est : *omnis sermo malus de ore uestro non procedat*. Ideo |71vb| docet Scriptura, Sap. 29 (Eccli. 28, 28-29) : *ori tuo facito ostia*. Sequitur : *et uerbis tuis facito stateram et frenos ori tuo rectos*. Dicit significanter *facito stateram* quia per stateram cognoscitur pondus equum et iustum, quia quando lingua stat in medio, non declinans ad dexteram uel ad sinistram, totum pondus est equum set quando flectitur ad alteram partem, quod fit quando una pars magis impletur quam alia, tunc est pondus inequum. Statera que pendet ponderatis habens duas partes est causa que pendet in iudicio inter duas partes. Lingua autem per quam cognoscitur utrum pondus sit iustum uel iniustum est lingua iudicis, per quam discernitur inter iustum et iniustum. Quando ergo lingua iudicis semper stat in medio, non declinans ad aliquam partem propter odium uel affectionem, tunc iudicium est ualde iustum. *Justus es, Domine, et rectum iudicium tuum* (Ps. 118, 37). Set quando declinat ad sinistram propter odium uel ad dexteram propter affectionem, tunc redditur inequum iudicium et *sunt mendaces filii hominum in stateris* (Ps. 61, 10) etc. Hoc autem communiter fit quando una pars statere magis impletur quam alia. Quando enim iudex ab una parte recipit munera, communiter lingua eius ad illam partem declinat, et dicit secundo : *et frenos ori tuo rectos* (Eccli. 51, 20). Differentia est inter claudum et rectum. De clando et recto habes in sermone³ *Ambulauit pes meus iter rectum*.

[b] De secundo principali nota quod natura que omnia organa fecit indeterminata mensura et numero, iuxta illud (Sap. 11, 21) : *omnia fecisti numero pondere et mensura*, quasi omnia organa sensuum dupPLICauit preter organum oris. Organum auditus fecit duas aures etc. Organum tactus fecit duas manus et sic de aliis. Iterum organa aliorum sensuum non diuisit in sinistrum et dexterum. Organum uocis numquid significat ? Ista certe exterior dispositio membrorum indicat qualis debet esse forma membrorum interior, organum autem uocis non significat quod homo debet esse in duplo prouior ad audiendum quam ad loquendum, Jac. I (19) : *sit autem omnis homo uelox ad audiendum, tardus ad loquendum* etc. Seneca⁴ recitat quod « Socrates loquaci audi, inquit, melius os, unde a natura aures duas accepimus », quasi dicat : natura docet quod homo in duplo prouior debet esse ad audiendum quam ad loquendum. Iterum Seneca⁵ : « Libentius audias quam loquaris, auribus frequentius utere quam lingua, quicquid dicturus es antequam aliis tibi dixeris. »

Secundo etiam quod natura dupPLICauit organum tactus, uocis non, significat quod homo in duplo plus debet facere quam dicere, cum tamen oppositum fiat hodie quia *super cathedram Moysi sederunt Pharisei* etc. *Dicunt et non faciunt* (Mt. 23, 2-3). Non est monstrum hoc in moribus, certe sic. Habere enim duas linguas et unam tantum manum in natura est monstrum ; sic multa dicere et

¹ *Manipulus florū*, Amor P (Augustinus) ; Augustinus Hippensis, *Confessionum libri XIII*, X, 29 (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 176).

² ostium] hospitium P.

³ Sermon 36.

⁴ *Manipulus florū*, Taciturnitas U (Seneca de sententiis oratorum).

⁵ *Manipulus florū*, Taciturnitas Y (Seneca in libro de moribus).

facere pauca, dicente Bernardo¹ : « *Doctrina lucida, uita tenebrosa etc.* » Figura habetur in Luca (6, 8) quod erat homo in synagoga habens manum aridam. In synagoga, hoc est in ecclesia, sunt multi qui sinistram manum non habent aridam set dexteram, quia potentes sunt [72rb] ad facienda mala ; bona autem facere nescierunt.

Tertio quod natura in eodem numero et mensura fecit organum auditus et tactus et oppositum esset monstrum. Puta : habere duas aures et unicam manum significat quod monstrum est in moribus quod homo uerbum Dei audiat et opere non impleat, unde in canonica Jac. (1, 22) : *estote factores uerbi et non auditores tantum*. Siquis auditor est uerbi tantum et non factor, hic comparatur *uiro* consideranti uultum uanitatis sue. Significanter dicit *uiro*, non puer. Puer enim uidens ymaginem in speculo non est contentus ymaginem uidere, set statim manum projicit et nititur ymaginem apprehendere, tamdiu quandoque ludit in speculo quod frangit ipsum in duas partes diuersas, et tunc uidentur ibi plures ymagines ubi non uidebatur ante nisi una. Sic uir prefectus solum ymaginem respicit transitorie et manum non apponit : *in ymaginem pertransit homo* in Ps. (38, 7). Spiritualiter speculum quo uidetur ymago est Sacra Scriptura. « *Mentis oculis uelut speculum quoddam opponitur, ut in eo nostra interna facies uideatur. Ibi enim plura fedarum nostra conspicimus, ibi sentimus, perficimus quantum a prefectu distamus*². » Illi ergo qui uidentes uel audientes Sacram Scripturam in hoc solo speculo non sistunt set manum ad ymaginem apponunt, ymmo dicitur quasi imitatus, hoc est quod ymitantur facto quod audierunt. Isti, inquam, fracto speculo cognoscunt euangelice, tamen uidebunt distinctas ymagines illius Trinitatis. Illi autem qui manum non apponunt beata uisione carebunt [72va].

Quarto quia organum auditus non distinxit in sinistrum et dextrum, organum uocis significat quod homo debet habere aures apertas ad audiendum non solum prospera et placentia, que significantur per dexteram, set etiam sinistra³ et quecumque iniuriosa sustinendo in patientia. Lingua autem numquam debet esse sinistra, quia numquam debet homo prorumpere in uerba iniuriosa propter quecumque grauamina sibi facta. II Cor. XI (20) : *sustinetis enim si quis in seruitute redigit si quis deuorat extollitur* etc. Hanc formam dedit Christus discipulis quando dicit, Mt. IX (5, 38-39) : *si autem sermo uester est non audistis quia dictum est antiquis : oculum pro oculo, dentem pro dente etc. ego autem dico uobis omnino non resistere malo, set si quis percuesserit te in dexteram maxillam, prebe ei et alteram*. Sic autem patet quod ostium oris debet habere modestie curtam mensuram.

[c] De tertio nota quod sicut lignum fractum uel lesum non est edificatorium, modo uideamus quid sit uerbum lesiuum.

¹ Cf. *Manipulus florum*, Prelatio AZ (Bernardus de consideratione libro 2) ; Bernardus Clareuallensis, *De consideratione libri V*, II, 14 (SBO, III, p. 422).

² *Manipulus florum*, Scriptura sacra AI (Gregorius 2. libro Moralium capitulo 2) ; Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, II, 1, 1 (M. Adriaen, SL 143, 1979, p. 59).

³ sinistra] sinistram P.

Primo quidem sermo detractorius est sermo lesiuus. Ictus sagitte est magis lesiuus quando extracto ligno sagitte ferrum remanet infixum in carne. Iterum etiam ictus est lesiuus summe quo ter leditur¹. Sap. (Jer. 9, 8) autem comparat uerbum lingue detractoris ictui sagitte : *sagitta uulnerans lingua eorum dolum locuta est.* Postquam sagitta ista extracta est, hoc est postquam uerbum detractorium iam transiuit uel quodcumque detrahens ipsum reuocauit, semper remanet ferrum infixum in carne, quia remanet memoria et opinio [72vb] in corde illius qui audiuit. Bernardus² : « Leuis³ quidem sermo quia leuiter uolat, set grauiter uulnerat. Grauiter transit, set grauiter urit ; leuiter penetrat animum, set non leuiter exit ; leuiter profertur, set non leuiter reuocatur : facile uolat, ideo facile caritatem uiolat. » Item ictu lingue detractorie leditur detractor ipse in conscientia, leditur audiens in opinione mala, leditur ille cui detrahit infama. *Acuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram ut sagittent in occultis immaculatum* (Ps. 63, 4-5). Sermo detractoris, quia lesiuus, non est bonus ad edificationem. Ideo Apostolus, Rom. IX (14, 19) : *que pacis sunt inuicem custodiamus.*

Secundo sermo adulatoris est lesiuus. Gladius enim quanto est magis politus, tanto penetrat facilius et uulnerat grauius. Sic uerbum adulatoris non est edificatorium : non enim sine causa distinguitur bonum delectabile et bonum honestum et utile, quia quod homo dicat alteri placentia et delectabilia, non honestum loquenti nec utile audienti. *Popule meus qui beatum te dixerunt ipsi te decipiunt* (Is. 3, 12). Impossibile est enim quod simul cantabo⁴ sine discordia « Placebo et dirige », sic homo qui cantat alteri de placebo non dirigit eum, ymmo magis decipit. Homo enim non debet credere quod placeat alteri per uerba adulatoria set per utilia et honesta. Ad Ro. XV (2) : *unusquisque proximo suo placeat in bonum ad edificationem.* Ymmo sermo curiosus non est edificatorius. Ubi notandum quod si sunt [73ra] homines mundi qui debeant loqui sermones ad edificationem, illi sunt theologi quod patet ex ethymologia nominis et tamen multi eorum, iuxta uerbum Apostoli, prima ad Thy. (4) : *intendunt fabulis et genealogis interminatis que opinionem magis prestant quam edificationem que est in fide.* Quid ad edificationem fidei scire, dicere an logica sit practica uel speculativa et multa talia curiosa quibus scripta doctorum sunt plena, contra quos dicit Apostolus, I (II) ad Cor. (10, 8) : *dedit nobis Deus, hoc est auctoritatem docendi, edificationem, non in destructionem.* Non sic faciebant alii de quibus dicit 2 ad Cor. XII (19) : *coram Deo Christo loquimur omnia propter edificationem nostram* etc.

De quarto, sic modica pictura reddit domum ualde gratiosam, sic pulcra facundia reddit hominem auditoribus gratiosum. Quere concordantias, si uis, nota introitum collationis istius sermonis precedentis *Siquis loquitur quasi sermones.* Unum quod mirabiliter turbat et notabiliter deordinat

¹ ter leditur] tres leduntur P.

² *Manipulus florū*, Loquacitas Q (Bernardus in quodam sermone) ; Bernardus Clareuallensis, *Sermones de diuersis*, 17, 5 (SBO, VI/1, p. 153).

³ leuis] ledit P.

⁴ Office des morts, antiphon des vêpres et matines.

unum conuentum religiosorum est horologium male temperatum. Unus malus sacrista qui male temperat horologium suum, turbat et deordinat totum unum conuentum. Horologium enim temperari debet quantum ad duo principaliter, primo quantum ad horas, ut non semper cantet set paucis et certis horis ; secundo quantum ad notas, ut sit melodia in cantu non dissonantis temporis. Modo sequendo ethymologiam nominis, cum horologium dicatur oris logium, logos autem idem est quod sermo et sic horologium |73rb| hominis est sermo. Hoc horologium adeo temperare est difficile quod beatus Jacobus dicit in canonica sua (3, 7-8) : *omnis natura bestiarum et uolucrum et serpentum et ceterorum domantur et domiti sunt a natura humana. Linguam autem nullus hominum domare potest.* In hoc figuratur horologium per Achab de quo 4 Reg. 20 (10) dicit Ezechiele : *facile est umbram crescere.*

SERMON 27

Neuvième dimanche après Pentecôte.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 73rb-78vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 1ra-5rb.

Plan :

Thème – Le débit de l'eau varie en fonction des obstacles rencontrés. Comparaison entre Dieu et une source.

Division – Ce que Dieu nous montre.

I – La ferveur confortée par la vue.

Division 2 (Ex. 4, 14) : les preuves de l'amour de Jésus :

- a. Il nous renforce
- b. Il offre sa plénitude
- c. Il se réjouit avec l'homme.

II – Erreur de la conversation

F. 73rb : *Videns ciuitatem fleuit super illam*, Luc. 19 (41).

[Thème] Fons a quo aqua scaturiens habundanter erumpit seipsum continere non ualet, si eius conductus, per quem scaturit, obturatur quin statim sibi conductum alium faciens aliunde habundanter erumpat. Ita uidetur dicere Ie. ia (18, 14) : *numquid de petra agri deficit nix Libani aut euelli possunt aque erumpentes frigide et defluentes*. Unde contingit interdum quod fons impeditus ne in locum consuetum influat, longe a priori loco cursum suum faciens, scaturit in remotis. Ita legimus Iudith a (7, 6-7) ubi dicit quod Holofernes obsessa Betulliam inuenit quod *fons influebat in aqueductum* illorum et incidi precepit aqueductum, set statim inuenti sunt non longe a muris set *tum extra ciuitatem* fontes ex quibus habitatores Betullie *uidebantur haurire aquam*. Spiritualiter fons indeficiens¹ totius bonitatis a quo scaturit et procedit perfectio totius orbis est filius Dei Patris et secundum carnem Virginis matris, de quo dicitur Zach. 13 (1) : *erit fons patens domui Dauid et habitatoribus Iherusalem* [73va] *in ablutionem peccatorum*, sicut enim dicitur Ecc. I (Eccli. 1, 5) : *fons sapientie uerbum Dei* ; 2 Ioel 3 (18) : *fons de domo domini egredietur*. Et satis rationabiliter filius Dei dicitur fons paradysi. Unde² scitis quod in fonte non appetit prima facie magna aqua profunditas et tamen in fonte est inexhausibilis aqua quantitas. Non possunt fontes exhausti. Set in locis in quibus aqua non scaturit, sicut in cisterna uel stagno seu fouea, appetit magna profunditas aqua que euacuatur cum modico labore. Iudith 7 (11) dicitur quid *defecerunt cisterne et collectiones aquarum omnibus habitantibus Betulliam propter solam custodiam*³ *fontium per spatium XX dierum*. Hec est

¹ indeficiens] inefficiens B.

² unde] uos B.

³ custodiam] caristiam P.

conditio filii Dei : considerantibus enim eius magnitudinem secundum conditionem carnis, uidetur esse parue quantitatis. Set haurientibus *aquas in gaudio de fontibus Saluatoris* (Is. 12, 3) inuenitur inexhausibilis profunditas bonitatis. Prou. 3 (Lam. 3, 22) : *non defecerunt miserationes eius.* Ipse enim *quasi ortus irriguus cuius non deffficient aque,* Ysa. 59. (58, 11). Set mundus est sicut cisterna uel fouea in qua recolligitur aqua. Videtur enim quibusdam superficialiter intuentibus et non perfecte attendantibus quod mundi solacia et gaudia sunt inefficiencia, diuitie inexhausibiles et inattingibiles usque summum. Et ideo derelicta dilectione Dei, conuertunt se ad dilectionem mundi. Ita conqueritur Dominus, Ie. secundo (2, 13) : *me derelinquerunt fontem aque uiue et foderunt sibi cisternas dissipatas que continere non ualent aquas.* Satis proprie dicitur mundus cisterna. |73vb| De cysterna profunda non hauritur aqua nisi circumgyrando¹ rotam cum multo labore, et frequenter contingit quod dum aliquis circumducit rotam ut hauriat aquam, circumducendo cadit et leditur nec ab ipso aqua² hauritur. Ita est de mundo : spiritualiter nullus enim [habet] diuitias, honores et corporales delectationes³ mundi nisi cum multa reuolutione fortune et circumgyratione multe astutie. Ibi⁴ homo frequenter et quasi semper leditur per culpam et frequenter antequam assequatur quod intendit, cadit per mortem. Sicut Iudicum XI (37-38), legitur quod filia zepre Galaaditis circuibat duobus mensibus in montibus, plorans uirginitatem suam, et in fine duorum mensium mortua est. Zepre interpretatur⁵ apertio et significat auaritiam que ore aperto qualiacumque accepit, semper insatiabilis alia petit. Istius sunt filie clerici que deplorant uirginitatem suam quia conqueruntur paupertatem suam. Quod ad ecclesiastica beneficia non assumantur pro quibus tamen multos circuunt, multos tractus faciunt et in fine, dum credunt accipere, diuitias haurire, cadunt confracti labore et morte. *Circuibunt in plateis plangentes XII quando ibit⁶ homo in domum eternitatis sue* (Eccle. 12, 5). Est ergo filius Dei fons scaturiens, mundus cisterna deffficiens. Ab isto fonte, a principio mundi fluerunt⁷ in misericordia bona per conductum sue liberalitatis. Fluxit enim in scaturitione perfectio gratie communicatio bonorum fortune. Ipse enim *fons ortorum puteus aquarum uiuentium que* |74ra| *fluunt impetu de Libano,* Can. 4 (15). Hunc conductum diuine liberalitatis frequenter abstruxit malitia humane iniquitatis. Ie. 3 (2) : *polluisti terram iniquitatibus tuis et malitiis tuis quamobrem prohibere.* Item stille pluuiarum et serotinus ymber non fuit in conductibus fontium. Per arcem facta est una clavis que in directum constituta facit aquam fluere, in oppositum conuersa prohibet fluxum aque sicut est in conductu liberalitatis diuine. Clavis enim nobis hunc fontem aperiens est caritas nos super omnia ad dilectionem Dei inflammans. Ie. 2 (2) : *recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam et caritatem desponsationis tue.* Set ad oppositum conuersa scilicet ad imperuersum et inordinatum amorem sui

¹ circumgyrando] circumgirando B.

² aqua] aquam P, B.

³ delectationes] dilectiones B.

⁴ ibi] ubi B.

⁵ Non inveni.

⁶ ibit] exhibet P.

⁷ fluerunt] fluxerunt B.

claudit nobis beneficium et fontem celi. 2 Paral. 12 (32, 30) dicitur quod *Ezechias obturauit superiorem fontem aquarum Gyon*; de isto Paulo ante dicitur (32, 28) quod edificauit *apothecas frumenti, uini et ordei* precepta ouium et iumentorum. Quis ergo est iste Ezechias qui interpretatur¹ auxilium, nisi ille qui totum robur sue fiducie ponit in congregacione bonorum temporalium: credens quod humana uita scitur, talibus auxiliis ymitatur. Iste obturat fontem superiorem, prohibet a se diuine gratie fluxum et largitionem. Vos enim scitis quod inter cetera que conductum, ne aquam infundat, impediunt, est terra et limus. Quando conductus talibus impletur, tunc obturatur. Sic quando [74rb] homo gratie celestis anteponit habundanciam temporalium que sunt feces et lutum mundi, prohibetur communicatio donorum Spiritus Sancti. Non uos ergo decipiat Ezechias nec uana persuasione deludat. 2 Paral. 22 (32, 30): ipse enim *obturauit fontem aquarum Gyon*. Gyon interpretatur² luctatio siue pugna. Vos scitis quod ciuitas inter omnia munimenta contra obsidionem hostium indiget aqua, et aque penuria interdum compellitur hostibus succumbere ciuitatem et tandem in ruinam. Ecclesia militans que ciuitas est, de qua dicitur Sopho. 2 (15): *hec est ciuitas gloriosa habitans in confidencia, obsessa multitudine demonium multiplicati malicie temptationum nulla residenti protegitur, sic quando fonte gratie celestis rigatur*. Et ideo hunc fontem per amorem temporalium claudere est ecclesiam dominio demonum supponere et eam fundius dissipare, quia ergo nudata est alueus riui ecclesie a fonte gratie. Ysa. 19 (57, 17): *propter nimium aceruum auaricie*. Idcirco acta est ciuitas uanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte, Ysa. 23 (24, 10). Sic ergo fons scaturiens aquam inefficientem impeditur et obturatur³ ne per conductum consuetum aquam influat. Nouo conductu sibi facto aliunde aquam emitit. Ita Deus omnipotens prohibita largitate suorum numerum propter nostrorum resistentiam peccatorum seipsum continere non ualuit, uisa dissipatione suorum ministrorum, quin aquam misericordie et compassionis efflueret per conductum [74va] pietatis et abundantia lacrimarum, et hoc est quod de ipso testatur Lucas euangelista cum dicit *uidens ciuitatem etc.* In quibus uerbis tanguntur tria. Primo enim ostenditur erga nos⁴ feroe dilectionis oculorum testimonio comprobate, *uidens*; secundo in nobis error conuersationis patens in ruina ciuitatis dissipate, *ciuitatem*; tertio pro nobis dolor compassionis in lacrimarum flumine declaratione, *fleuit super.*

[I] De primo dicitur communiter: ubi amor, ubi oculus. Res enim plurimum dilecta a diligente desiderabilius aspicitur et ab ea diligentis oculi tardius remouentur. Ita legimus 2 Reg. 14 (32) quod Absolon, cum esset conductus in ciuitatem⁵ patris sui, reuocationem pro nichilo computabat quia patris faciem non uidebat. Unde dicebat: *obsecro ut uideam faciem regis*. Unde Gregorius⁶ in quadam

¹ *Non inveni.*

² Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 107 (*sub nomine Gio*).

³ [impeditur et obturatur] impeditum et obturatum *P.*

⁴ *nos] Dei add. B.*

⁵ *ciuitatem] ciuitate P.*

⁶ *Manipulus florum*, Amor AG (Gregorius in homelia *Maria stabat ad monumenta etc.*); Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri duo*, II, 25, 2 (PL 76, 1189D).

omelia de Magdalena, loquens de feroore sui amoris dicit : « Iam monumentum uacuum uiderat, iam sublatum Dominum nuntiauerat ; quid est quod se iterum inclinat, iterum uidere desiderat ? Set amanti semel aspicere non sufficit, quia uis amoris occasionem multiplicat inquisitionis. » Ergo quanto persona plus alteram diligit, tanto in illa frequentius et attentius oculos figit. Hoc tamen uerum [est] precipue quando persona habens oculos in altero infixos eque libenter uel diligentius nititur¹ personam uidere, quando est horreenter² et atrociter uulnerata, tunc enim signum est uere dilectionis, set ubi homo alium non uellet uidere |74vb| nisi in prosperitate et sanitate iocundum, signum esset curiositatis uel adulationis, sicut enim legitur Iob 2 (7 ; 11 ; 13) quod cum *Sathan percussisset Iob ulcere pessimo a planta pedis usque ad uerticem ; audientes tres amici eius uenerunt singuli de loco suo ; et sederunt cum eo in terra VII diebus et nemo loquebatur ei uerbum. Videbant enim dolorem esse uehementem.* Spiritualiter peccatum in corde dicitur esse plaga pessima in homine. Ecc. 21 (Eccli. 21, 4) : *quasi rumphea bis acuta omnis iniquitas illius plague non est sanitas.* Ratio est : illa plaga est grauissima a qua sanguis fluens per naturam restringi non potest. Talis enim plaga est mortalis, talis est plaga peccati. Facit enim scisiua in homine diuidendo spiritualitatem a ratione equa diuisione. Sequitur quod cura sine freна rationi contradicens ea que sunt carni delectabilia comparatur. Propter hoc dicebat Mich. 2 (1, 8-9) : *super hoc plangam et ululabo faciam planctum quia desperata est plaga.* Sicut enim dicit beatus Gregorius³ quod⁴ « peccatum quod non per penitentiam diluitur, mox suo pondere ad aliud trahitur », ita hec plaga non potest restringi per naturam et ideo cum indurat fluxum peccatorum incessantem ducit ad mortem. Figura 3 Reg. ultimo capitulo (22, 34-35), ubi legitur quod dum rex Israel Achab pugnaret⁵ contra regem Syrie quod *incertum sagittans dirigenс percussit regem Israel inter pulmonem et ephar fluebat quia sanguis plague in sinum⁶ currus⁷ mortuus est rex Israel uesperi.* Iste Achab, |75ra| licet possit intelligi quilibet de numero christiane religionis quia interpretatur⁸ frater patris, tamen spiritualiter potest significare illos qui sunt in ecclesia status altioris. Israel⁹ interpretatur princeps cum Deo, hoc autem est proprium ecclesiarum rectoribus quod sint principes cum Deo. Princeps enim dicitur esse cum rege qui solum curat¹⁰ et pugnat pro uictoria quam rex intendit. Qui autem in exercitu querit uictoram a rege non intentam non est cum rege set magis contra regem. *Qui non colligit me cum dispergit,* Mt. 13 (Luc. 11, 23). Victoria pro qua Christus dux exercitus ecclesie militantis pugnauit tam fortiter non fuit congregatio diuitiarum uel augmentatio reddituum set exaltatio uirtutum et depressio uiciorum,

¹ nititur] nituntur *P.*

² horreenter] horrente *B.*

³ Gregorius Magnus, *Homiliae in Hiezechiem prophetam*, I, 11, 24 (M. Adriaen, SL 142, 1971, p. 179).

⁴ quod] quid *B.*

⁵ Achab pugnaret] Acab pugnaret *B.*

⁶ sinum] signum *P.*

⁷ currus] crucis *B.*

⁸ Non inveni.

⁹ Non inveni.

¹⁰ solum curat] nunc currat *B.*

confirmatio fidelium, et hanc si ecclesiarum rectores principaliter intenderent et uiriliter decertarent, essent reges Israel principes cum Deo, set hodie pugnant pro Ramot [et] Galaad. Ramot interpretatur¹ excelsus, Galaad² aceruu. Quod sicut excelsi dignitate³ diuitias possit coaceruare pro talibus est pugna et in sordibus seditio⁴. Sequitur quod percussiuntur⁵ inter pulmonem et ephar. Ysidorus⁶ dicit quod ephar est sedes ignis, pulmo uentialbum cordis. In hoc loco uulnerata sunt hodie membra ecclesie in ephate, in sede auaritie et in pulmone superbie per quem homo respirat et aspirat. Ia. 12 (Zach. 13, 6) : *quid sunt iste plague in medio manuum tuarum ? Ne ergo participes delictorum eius et de plagis eius accipiatis, quoniam peruenierunt peccata eius usque [75rb] ad celum*, Apo. 19 (18, 5). Ex istis plagis sequitur fluxus sanguinis⁷, quia ad ista peccata sequitur fluxus carnalis uoluptatis et usque in sinum currus, ita ut ex scandalo clericorum⁸ inficiantur populi⁹. Hunc enim populum quem clerici per modum currus exemplo uite deberent trahere ad celum, frequenter scandalo sue auaritie et immundicie trahunt ad peccatum. *Galaad operantium ydolorum supplantata sanguine*, Osee 6 (8). Uidetis ergo quam periculosa sit plaga peccati que non potest restringi nisi ex speciali dono et gratia Dei. Signum est ergo munditie dilectionis quod peccatorem tam horribilem ex fluxu tanti uulneris non cessat filius Dei uidere oculo compassionis. Sapientie ultimo (19, 20) : *magnificasti populum tuum, Domine, et honorasti et non despexisti in omni tempore et omni loco assistens eis*. Sicut enim Ex. tertio (7) dicitur : *uidi afflictionem populi mei qui est in Egypto*, sic ergo Deus oculo misericordie compatitur. Unde est ergo hoc quod peccator non curatur. Ecce oculus medici non curat morbum, set oportet quod medicus apponat manum alligando uulnera, apponendo emplastra, et quia multi, licet non possint oculos subterfugere, conantur tamen manum sue iustitie euadere, non possunt sustinere quod restringantur per precepta quod emplastra apponantur per consilium, dicunt quod manus eius est manus dura. Ideo tales non purgant sua uulnera. Vulnus et liuor et plaga tumens non sunt circumligata et ita [75va] hec est ergo causa quare peccatores non curantur, licet a Deo uideantur. Set illi qui permittunt se tangi per directionem preceptorum, obseruationem consiliorum, tales curantur. Ita legitur Luc. 4 (10, 30) : *qui descendebat ab Iherusalem in Iericho, cum incidisset in latrones plagis positis semiuiuo relicto*. Ita Samaritanus autem quidam eum uidens misericordia motus est et approprians. Quis est iste descendens a Iherusalem in Iericho nisi peccator ? *Iherusalem uisio, Iericho odor*. Frequenter ergo contingit quod [quando] homo est in Iherusalem, uidet latronem prudens ecclesiasticus et de periculo peccati scit discernere et alios docere et cum odor [et] dilectio peccati transiens ad modum odoris, cum tamen transierit, non est uestigium inuenire, ita eos alludit quod

¹ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 87.

² Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 67.

³ dignitate] quod add. P, B.

⁴ in sordibus seditio] in sede B.

⁵ percussiuntur] percutiuntur B.

⁶ Autor incertus, *De spiritu et anima*, I, 33 (PL 40, 802).

⁷ sanguinis] sanguis B.

⁸ clericorum] clerici B.

⁹ populi] populus B.

neglecto eo quod oculis uident ratione iudicant funum uanitatis, odorem delectationis transeuntis. Sequitur : serpens *decepit te et concupiscentia subuertit cor tuum*, Dan. ultimo (13, 56). Homo uulneratus plagiis multis hostis inferni timet dyabolum, ne homo tamen uno peccato uulneratus a peccato faciliter resurgat. Quanto enim peccatum minus ducitur in consuetudinem, tanto citius peruenit ad displicantiam, et ideo dyabolus peccatorem diuersis plagiis uulnerat, de remedio penitentie homo desperans finaliter non peniteat et sic pereat. Apo. 19 (18, 8) : *in una die uenient plage, mors et luctus.* Peccatorem ergo sic uulneratum, Samaritanus qui interpretatur¹ custos, Christus scilicet incessanter aspicit ut alli[75vb]gatura preceptorum, emplastro consiliorum, uino penitentie, oleo misericordie ad statum gratie et salutis reducat. Quis ergo uidetur tibi proximus fuisse ? Ille qui incidit ? Christus qui oculo compassionis intuens fecit misericordiam in illum ? Ergo signum est maxime dilectionis in Saluatore erga nos, quod non cessat hominem oculo compassionis aspicere, *uidens*, hoc est primum quod tangebatur ut dicit hic possunt exponi quod scribitur Ex. 4 (14) : *Aaron frater tuus Leuites ipse egredietur in occursum tuum uidensque letabitur corde.* In qua auctoritate ostenditur filii Dei ad nos feruens dilectio et scincera. Primo quia suam celsitudinem nostre coaptat fragilitati, *Aaron frater tuus Leuites*. Secundo quia suam plenitudinem nostre offert curiositati, *ipse egredietur in occursum tuum*. Tertio post nostre contritionis amaritudinem congaudet nostre iocunditati, *uidensque te* etc, Osee primo.

[a] Ad hoc quod magnum edificium possit super parietes debiles erigi, necesse est columpnam aliquam fortitudinis parieti apponi. Ita legitur Ex. 26 (1) : cum enim Dominus mandasset tabernaculum totum fieri *de tabulis ligneis et cortinis*, uoluit tabernaculum muniri columpnis, fecit et columpnas quinque cum capitibus suis quas operuit auro. Spiritualiter magnum edificium consistit in acquisitione uirtutum. Hec est enim edificatio per quam homo pertingit usque ad celum. Ad (II) Cor. V (1) : *edificationem habemus a Deo domum non [76ra] manufactam eternam in celis.* Hec est edificatio de qua dicitur Prou. IX (1) : *sapientia edificauit sibi domum excidit columpnas VII.* Et satis rationabiliter comparatur edificio uirtutum acquisitio. Edificium, quod est ad defensionem, quanto plures habet sissuras, tanto periculosius est, minus ab hoste deffendere potest. Set edificium quod nullam habet ruinam nisi sissuram protegit ab hoste, facit hominem habitare secure et quiete. Talis est edificatio uirtutum que a Deo dantur et a nobis acquiruntur ad defensionem contra incursum uitiorum. *Deus qui precinxit me uirtute* etc. (Ps. 17, 33). Ideo corda uirtuosa² non patiuntur intra se aliquam sissuram uel diuisio[n]em. Ubi enim est diuisio animorum, sissura et contrarietas uoluntatum, necesse est quod homines subiaceant dominio uitiorum et pati ruinam uirtutum. Set quando concordia in caritate et coniuncta concordia, tunc proficit structura uirtutum. Tunc enim *dominator uirtutis cum tranquillitate iudicas*, Sap. 12 (18), et³ in hoc edificio color et pictura non prebent¹ stabilitatem, set

¹ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 142.

² uirtuosa] uiciosa P.

³ et] ut P.

ueritas misericordie interioris illa prebet edificio soliditatem. Quid est color nisi ostentatio ? Quid est ueritas interior nisi cordis interioris ostentatio ? Ergo componite conuersationem, illa non erigit edificium uirtutis. Non enim in sermone est regnum Dei set in uirtute. *Presumentes enim de se et de sua uirtute gloriantes humilitas*, Mt. 6 (Iudith 6, 15), set ueritas sancte intentionis, 2 Paral. 9 (6) : *ui[76rb]cisti famam uirtutibus*. Quidam sunt similes hominibus set curiosis qui sunt de pictura domus solliciti magis quam de soliditate², et ideo domo subito³ ruente destruuntur colores et periclitantur homines. Huius ergo edificii parietes sunt due hominis partes, scilicet corpus et anima. Isti parietes sunt ualde debiles. Signum est magne debilitatis⁴ in pariete quando ad modicum tactum in parte exteriori fit concussio in parte interiori. Sic est de homine ; ad modicum enim impulsum corporis siue per uisum, siue per auditum, concutitur anima ut consentiat in peccatum. Eze. 13 (10) dicitur : *ipse edificabat parietem, ipsi autem liniebant eum luto absque paleis*. Sequitur (13, 12) : *siquidem ecce cecidit paries*. Ps. (61, 4) : *quousque inruitis in hominem interficitis uniuersi uos tamquam*. Ita isti parieti apposuit Deus columpnam stabilem, quando filius Dei assumpsit naturam humanam. Tunc enim factus est *frater tuus Aaron Leuites* (Ex. 4, 14). Aaron interpretatur⁵ montanus. Iste est filius Dei qui est *lapis de monte precisus sine manibus*, Dan. 2 (45). Leuites interpretatur⁶ appositus. Iste est nobis appositus. Differentia est inter appositorum et superpositorum : de superposito optime appetet locus coniunctionis ; de apposito non appetet ubi sit coniunctus filius Dei. Quando sol erat nobis superpositus, optime apparebat qualiter nobis iungebatur, quia sol per gratiam est humane nature appositorum, in unam personam non potest intellectus uidere hanc iuncturam. Ergo bene est *Aaron frater tuus Leuites* |76va| quia mons fortis est appositorum ut paries tue fragilitatis erigatur per incrementum uirtutis usque ad celum. Ecc. XLI (Eccli. 45, 7) : *ex te ibi sum, fecit Aaron suum et similem de tribu Leui* qui uocatur a Deo tamquam Aaron. Hoc erat primum auctoritatis in quo signum diuine dilectionis ostenditur *quia celsitudinem suam* etc.

[b] Secundo dicebatur *ipse egredietur in occursum suum*. Inter cetera que magis laborem uiatoris abbreuant est quando res quesita procedit obuiam querenti. Tunc enim breui tempore queritur et labore facili inuenitur. Ita sibi contigisse gloriabatur Iacob dum uenationem laboriose pro patre quereret, dicens (Gen. 27, 20) : *uoluntas Dei fuit ut cito michi occurreret quod querebam*. Set quando res quesita ante faciem querentis fugit et labitur, labor et tedium querentis augetur. Amos 9 (8, 12) : *commouebuntur a mari usque ad mare ab aquilone usque in occidentem querentes uerbum Domini et non inuenient*. Spiritualiter omnes sumus in presenti uita uiatores. Eze. 3 (39, 11) : *dabo Syon locum nominatum uallem Viatorum*. Hec est differentia inter uiatores et illos qui quieti resident in domibus et uiatores adusti sole alterantur, multiplici aeris intemperie attenuantur et in colore mutantur et

¹ prebent] prebet *P, B*.

² soliditate] solitudine *P*.

³ subito] subdito *B*.

⁴ debilitatis add. *B in marg.*

⁵ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 73.

⁶ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 146.

effuscantur. Set homines domi quieti residentes nec in colore mutantur nec a sua pulchritudine alterantur. Spiritualiter enim hoc est differentia uiatorum et beatorum. Beati enim quieti quibus datum est ut sedeant in regno patris, ipsi sunt ad quos [76vb] dictum est (Apoc. 21, 4) : *mors non erit ultra neque luctus neque clamor nec dolor que prima abierunt* ; (Apoc. 22, 5) : *neque nox erit ultra neque egebunt lumine solis neque lumine lune*. Quantum Deus illuminabit illos et ideo non mutantur in colore quantum ad gratiam, neque attenuantur in substantia quantum ad gloriam, set in presenti lux quedam aspera que uidetur lucens in pulchritudine oculorum temporalium, frequenter immutat hominis faciem. Facit quod perdat propter ardorem auaricie gratiam intemperies aeris, passiones cordis attenuant bonos mores hominis per concupiscentiam, ita ut de eis possit Deus dicere illud Tren. 4 (1) : *obscuratum est aurum, mutatus est color optimus quare dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*. Qui erant boni scolares, innocentes pueri et mundi per uagos discursus in capite omnium platearum dispersi, perdit sunt et quantum ad uitam quia corrupti et quantum ad scientiam quia qui prius humiles nunc ignari per lasciuiam. Ad eos posset dici (Iob 21, 28) : *ubi domus principis, ubi tabernacula pastorum interrogare quemlibet de uiatoribus*. Iob 21 : *interrogati de tabernaculis meretricis de curiositate principium melius responderent quam de sancto suarum scientiarum. Veniet tibi quasi uiator egestas et pauperes quasi uidetur amicus* (Prou. 6, 11). Sumus ergo uiatores, uerum est quod in ista uia quidam querunt rem semper eos fugientem sicut mundum et ea que in mundo sunt. *Pretereunt enim mundus et concupiscentia eius*. Figura huius mundi [77ra] I Cor. a : *impossibile quod homo attingat umbram ante se precedentem*. Tunc autem precedit umbra quando sol est a tergo. Illi qui solem iustitie Deum a tergo ponunt per contemptum etiam sequuntur mundum. Necessarium est quod sequuntur umbram. Umbre transitus est Christus et ideo, sicut umbra numquam attingitur, sic nec cor eorum in acquisitione temporalium quietatur. Transeunt omnia tamquam umbra. Gregorius¹ in quadam omelia : « Fugientem secuntur, labenti inheremus et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. » In hac uita filius Dei non fugit querentem, set querit desiderantem quem dignos se cernuit querens et in uis suis omnibus se illis. Ubi enim duo homines sic se habent quod unus diuertit ab alio et aliis semper sequitur. Statim quod fugiens conuertit se occurrit. Ergo ille a quo recesserat ante, Christus numquam recedit ab homine. Homo per peccatum a Deo recedere potest. Ipse enim est primus in accessu, ultimus in recessu. Bernardus² : « Non statim quod homo conuertit se per penitentiam inuenit Christum sibi obuiam. » Figura Luc. XI (15, 18) : *Filius qui consumperat substantiam uiuendo³ luxuriose ad se reuersus dixit Surgam etc.* ut (15, 20) : *autem uidit illum pater suus occurrentis cecidit super collum eius etc.* Unde et anima dicebat, Can. (2, 9) : *en ipse stat post parietem nostrum etc.* *Ergo tolle munera et uade in occursum uiri Dei* (IV Reg. 8, 8), hoc erat secundum.

¹ *Manipulus florū*, Mundus O (Gregorius in homelia) ; Gregorius Magnus, *XL homiliarum in Euangelia libri duo*, II, 28, 3 (PL 76, 1212D).

² *Non inueni*.

³ substantiam uiuendo] semen B.

[c] Tertio dicebatur illa : *uidensque te letabitur corde*. Vera dilectio hoc habet et exi[77rb]git quod homo sicut amico compatitur in aduersitate, ita congaudeat in prosperitate. Ruth. II (1, 19) legitur quod mulieres conpatients Noemi dicebant : *hec est illa Noemi*. Ipsa autem dicebat (1, 20) : *nolite me uocare Noemi* quia amaritudo¹ interpretatur. Ita autem postquam eius nurus concepit filium, congaudentes dicebant : *natus est tibi filius*. Ita *benedictus Dominus qui non est passus ut defficeret successor familie tue* (Ruth. 4, 14). Spiritualiter Noemi interpretatur² pulchra et significat animam in gratia exeuntem que est pulchra. Homo qui continue recenti pane utitur communiter recentior et pulchrior in facie inuenitur. Set illi qui pane ueteri et corrupto utuntur macilentiores sunt et facie deformiores. Hoc habet gratia quod hominem pascit pane tenero et recenti. Facit enim quod homo consolatur precipue in hiis que pertinent ad uiam celi. *Ubi est panis uinus indeficiens a patre indefinenter procedens*. Et ideo non est mirum si gratia faciat hominem pulchritudine excellentem. Hest. 2 (15) dicitur quod *erat formosa ualde et incredibili pulchritudine omni oculis gratiosa* et sequitur (2, 17) quod inuenit *gratiam et misericordiam coram rege super omnes mulieres*. Peccatum pascit hominem pane putrido et corrupto. Argumentum est quod cibus non est conformis humane nature qui non faciat set replet. Argumentum [est] quod non conuertitur set a tali natura grauatur. Peccata que sua dilectione transitoria homines attrahunt bene replet³ set numquam satiant appetitum uoluntatis peruerse et ideo [77va] dilectiones tales corruptione et putredine numquam carent. Sicut enim legitur quod filius fatuus *cupiebat saturari de siliquis quas porci etc. et nemo illi dabat* (Luc. 15, 16), possunt dicere peccatores *que prius nolebat contingere anima mea* etc. Iob (6, 7). Ita Noemi dicitur Betlehem, perfecta est in moabitidem regionem. Moabites interpretantur⁴ de patre geniti per quos intelliguntur illi qui gloriantur propter parentum nobilitatem uel generis uel status quia sunt de patre geniti, *mortuis sunt⁵ Celion et Maalon* (Ruth 1, 5). Celion incendum, Maalon saturitas. Dicitur : perducit feroarem deuotionis, perducit feroarem mentis. Verecundantur esse in Bethleem in parua ciuitate. Quia⁶ in statu paupere habeant refectionem mentis ? Nolunt bonis spiritualibus carere, cum superbia carnis possent dicere (Ruth 1, 20) : *nolite me uocare Noemi quia amaritudine me repleuit* etc. In hora mortis plus uoluissent in Bethleem fuisse, fuisse in paruo statu, Deo seruiuisse, quam iuxta parentum superbiam feroarem deuotionis et refectionem mentis perdidisse. Verum est quod *Ruth* isti Noemi parit filium, *Ruth* dicitur uidens. Rediens enim homo ad considerationem sui status, uidens quod cito properat mortis deffectus, generat obet secundum cor, non curat qualia nec quantacumque mundi contemptibilia eligere, dum tamen Deo possit seruire et de tali sic ad se reuerso deberet dicere (Ruth 4, 14) : *benedictus Deus qui non est passus ut defficeret successor familie* [77vb] *tue*. Amicus

¹ Non inveni.

amaritudo] amaritudine *B*.

² Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 102.

³ replet] repletum *B*.

⁴ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 8.

⁵ mortui sunt] talibus moritur *P*.

⁶ quia] quod *B*.

ergo debet amici prosperitati congaudere sicut iocundo debeat condolere¹ licet aduersitati. Summa prosperitas hominis est quod sit in statu salutis. Dicitur quod homo uiuens de proprio est in prosperitate, uiuens de mutuo est in aduersitate. Gratia facit hominem uiuere de proprio. Ille bene uiuit de proprio qui semper sibi acquirit, set ille qui nichil sibi acquirit set se magis debitorem facit, uiuit de alieno. Per gratiam homo sibi meretur futuram gloriam. *Gratia Dei sicut paradisus in benedictionibus*, Ecc. 10 (Eccli. 40, 17). Per peccatum homo facit se semper obligatum, dyabolo tradetur *tortoribus qui usque etc.* (Mt. 18, 34). *Non redimet nec dabit Deo placationem suam et pretium redemptionis anime sue etc.* (Ps. 48, 8-9). Tali ergo a statu peccati ad statum gratie redeunti congaudet Christus. *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente etc.* (Luc. 15, 10), et ideo dicitur recte² quod *uidens te letabitur corde*. Argumentum est quod amicus ex corde recepit amicum, quando imperando pro eo excedit mensuram nec sit sibi ponere frenum. Filius Dei iam pro suis amicis redeuntibus de uia laboriosa peccati, parauit mensam, miscuit uinum, ideo in deliciis excessit nesciens tenere modum. I Cor. II (9) : *oculus non uidit ille que preparauit Deus hiis qui diligunt illum*. Cognoui³ ergo quod non esset melius quam letari et benefacere in uita sua, *letabimur ergo in te memores uerborum tuorum super uinum* (Can. 1, 3).

[II] Secundo principaliter [78ra] error noster est etc. *Ciuitatem*. Inter cetera que homines in admirationem ducunt est quando ciuitas fortis in situ munita uario armorum apparatu, hiis populum fortem capit per aduersarium ignobilem. Apo. (18, 16-17) dicitur : *ciuitas illa que amicta erat auro, purpura et byssso quoniam una hora destitute sunt tante diuitie*. Spiritualiter ciuitas fortis quantum ad situm et quantum ad armorum apparatum et nobilitatem defensorum est anima fonte sacri baptismatis regenerata. Primo quantum ad situm. Vos scitis quod situs in rupe eleuata facit ciuitatem fortem, dum tantum fossores sub muro non possunt ingredi ciuitatem. Hoc patet⁴ : anima quod sita est super impenetrabilem rupem et petram fidei⁵ falsificare non potest omnis astutia inimici. Iob (Mt. 5, 14) : *non potest ciuitas abscondi supra montem posita*. In hac est apparatus armorum, scutum inpenetrabile, spes insuperabilis, lorica caritatis, et ideo potest dici (Can. 4, 4) : *mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Ad defensionem est ratio prouidens, uoluntas obediens. Arfaxath itaque rex Medorum edificauit ciuitatem potentissimam quam appellauit Ebbakanis⁶. Iste Arfaxath qui interpretatur⁷ saluans, rex Medorum, Medus miserans⁸, iste est ergo rex misere⁹ uiuentium, non gulosorum. *Quorum Deus uenter est* (Phil. 3, 19). Ipse edificauit circa in Ebbakanis domus leta,

¹ debeat condolere *om. B.*

² dicitur recte] recte dicitur *B.*

³ cognoui] cognomentum *P.*

⁴ patet] habet *B.*

⁵ fidei] quam add. *P.*

⁶ Ebbakanis] Albacanis *B.*

⁷ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 61.

⁸ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 147.

⁹ misere] miserate *P.*

anima¹ sancta que est ciuitas letitie ordinata ad statum perpetue glorie. Eset ergo mirabile² quod talis ciuitas ab [78rb] ignobili hoste caperetur. Et tamen hoc frequenter contingit quod ciuitas situ fortis inaccessibilis non capitur nisi per negligentem custodiam porte. Vbi enim ianitor presumit de securitate per portam, subintratur ciuitas que subuertitur usque ad fundum. Ita enim fit in homine. Quando enim rationem considerare negligit caro et dyabolus per temptationem premit et quia ratio non uigilat, tunc periculum subintragit carnis concupiscentia usque ad uoluntatem per consensum. Ita legitur Iud. 14 (50-51) : Abimelech turrim Scithiorum³ inuadens et circumdans presidium succedit, ita ut fumo et igne necarentur mille hominum uiri. Abimelech dyabolus qui interficit LXX uiros fratres suos frequenter aggreditur presidium et fumo et igne longa cogitatione postea peruersa inflammatione totum succedit quam homo per considerationem rationis a principio non diuertit, hanc ciuitatem destructam deplorans, Ie. dicebat (Lam. 1, 1) : *quomodo sedet sola ciuitas plena populo facta est quasi uidua domina gentium prouinciarum princeps facta est sub tributo Aleph.* Doctrina temptationum probati milites, audito quod ciuitas fortis per incautelam custodis capta fuerit, queruntur modum ut sibi precaueant, quando uiderint ingruere similem casum. Felix quem faciunt aliena pericula cautum⁴ ! Ita audistis quod fumus frequentis meditationis, incendium prae suggestionis, negligientia rationis non diuertentis animam incidunt per peccatum. Ergo desideria [78va] *iuuenia fuge*, 2 Thi. 2 (22). Can. 9 (8, 14) : *fuge dilecte et assimilare capree ynulo quem ceruorum super montem aromatum*, id est uirtutum. Aleph ergo doctrina temptationis, *quomodo sedet sola ciuitas plena populo*. In ciuitate in qua fuerunt multa cadauera occisorum, nascuntur tot infirmitates quod ibi non possunt habitare homines et ideo talis ciuitas relinquitur sola. Sic contingit in ciuitate anime. Anima enim per peccata capta habet multa cadauera occisorum quia multa cadauera carnalia ut desideriorum que occidunt uirtutes et ideo plena immundiciis carnalibus, priuata bonis spiritualibus dicitur sola, ubi habitabunt *bestie et replebuntur domus eorum draconibus*, Ysa. V (13, 21). *Relinqueris sola ab hereditate tua quam dedit tibi*, Ysa. ia (Ie. 17, 4). Facta est quasi uidua priuata terra. Dicitur uidua suo principe rectore ; rector [est] anime Spiritus Sanctus, eius organum humanus intellectus. Iste rector per peccatum expellitur quia preualeat carnalis appetitus qui animam non regit, set precipitate eam compellit. *Ve terre cuius rex puer est* (Eccle. 10, 16) et ad litteram dictum est non de puero etate set uita et regine. Luc. 4 (25) : *multe uidue erant sub Helia* etc. Luc. a (7, 12) : *cum appropinquaret porte ciuitatis ecce defunctus efferebatur extra portam ciuitatis filius unicus matris sue et hec uidua erat* miseria ciuitatis tam desolate, considerans Saluator tactus est dolore compassionis lacrimarum fluui comprobate. *Fleuit super illam*. Ita dicebat Ysa. 22 (2) in persona Dei [78vb] : *urbs frequens ciuitas exaltans imperfecti tui non imperfecti gladio, mortui tui, non mortui in bello. Recedite a me, amare, flebo imperfecti tui* etc. (Is. 22, 4). Magnum uituperamen ciuitati et toti

¹ anima] facta add. P.

² mirabile] miserabile P, B.

³ Scithiorum] Scithimorum B.

⁴ aliena pericula cautum om. B.

genti, quando uiri nobiles permittunt se capi et interfici absque hoc quod resistant fortiter in bello. O quis cogitaret quot ex nobis mortui sunt per peccatum et quam pauci sunt qui resistunt etiam per momentum ! Ad Heb. 12 (4) : *nondum enim usque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes.* Propter hoc dicebat *recedite* etc. Set scitis, karissimi, maxima confidentia est de thesaurizatione loci compassio principis. Durus est qui uidet principem lacrimantem et non resumit uiros ad reformatum quantum est in se principis honorem. Ecce lacrimatus est Ihesus, uiros debet resumere seruus ut posset dici illud, Iudit. 9 (7, 18-20) : *factus est fletus magnus in ecclesia per multas horas una uoce clamantium ad Dominum : Peccauimus, cum patribus nostris iniuste egimus* etc. *Tu qui pius es miserere nostri* et dicunt, sequitur uerbum psalmiste (Ps. 6, 9) : *exaudiuit Dominus uocem fletus eorum.* Quod nobis concedat etc.

SERMON 28

Vingt-troisième dimanche après Pentecôte.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 78vb-80rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 44ra-45rb.

F. 78vb : *nostra conuersatio in celis est*, Phil. III (20).

Sicut pondus rei trahit ipsum totum quia omnia que in ea sunt obediunt ponderi et uersantur ad eumdem terminum, sic amori cordis omnia que in homine sunt obediunt, quod patet. Nam aures libenter audiunt uerbum de re ad quam est cor uersum. Similiter ubi amor, ibi oculus. Ita et pedes uadunt ad locum rei dilecte et sic de aliis partibus [79ra] hominis. Unde tactus homo uersatur similiter ad nutum cordis, res autem que plus amatur est salus. Nam omnes homines naturaliter saluari desiderant et nullus uult esse miser recto affectum. Salus autem anime in celo est, salus solius corporis in mundo est. Ideo cor hominis debet tendere in celum et omnia que hominis sunt, quod eius statura ostendit ut sic simul uersetur homo ad celum sicut fecerunt sancti, precipue beatus Martinus qui erat oculis ac manibus in celum semper intentus. Sic nos debemus, nam propter hoc sancti eleuati sunt in celum ut nos eorum conuersationem respiciamus, sic quod *nostra conuersatio sit in celum*. Hec conuersatio debet non esse mutuata set nostra et bene habituata, quod importat nomen conuersationis quia propter unum opus contemplationis non debet homo conuersari in celum. Quod sit bene situata, *in celis est*. Que ele ne seyt en prompree et que ele soyt sovent hauntee et soyt depuz¹ seur lu gardee.

Circa primum nota : color qui nobis inest ex principiis intrinsecis noster est ; qui autem est per artem noster non est set mutuatus. Sic quando ex intimo conscientie procedit sanctitas exterioris conuersationis, nostra est ; quando autem per artem sophiste ypocritis, non est nostra. Qui sancti sunt per talem modum, mendaces sunt ostendentes quod non est, fures sunt quia per modum fraudulentum uolunt amorem hominum et famam acquirere ; contra quos dicitur (II) Cor. I (12) : *gloria nostra hec est testimonium conscientie nostre*. Quando uestis non est proportionata persone², appetit quod sua non est, et in hoc magis debet confundi quam gloriari ; unde quod non sua [est] patet quia ueniente modico impulsu temp[79rb]tationis amittunt. Quam gloriam potest habere ancilla in die Pasche de roba domine qua statim spoliatur, sic transito festo mundi, quia *mundus transit et concupiscentia eius* (I Jo. 2, 17). Ergo oportet quod isti deponant gloriam, tunc maxime confundentur quia amittent quod semper quesierunt, scilicet gloriam, et ostenderunt quod semper fugerunt scilicet interior turpitudo. Sic transit gloria mutuata. Ideo in se ipso tantam gloriam habebit ut non in altero post magnam confusionem faciunt sanctitati. Sicut qui pingeret crucifixum in ostio camerarum, sic isti ymaginem sanctitatis ante

¹ depuz] deyuz B.

² persone] bene add. B.

latrinam uiciorum, cum tamen per ymaginem que est in ingressu porte¹ cognoscitur qui sanctus intus adoratur. *Mutauerunt gloriam* in ydolum, Ro. II (1, 23). Contra istos est testimonium conscientie que non mentitur, cui creditur in iudicio Dei et probet cum diuersis temporibus et diuersis personis. Quando quis diu fuit in uili habitu et exili uictu, set postmodum bene uestiatur et magnifice epuletur, in periculo est propter eos qui dicunt quod habet malo modo, nisi habeat bonum testem de fidelitate. Sic quando quis fuit in habitu conuersationis uestitus², si mutat habitum et uitam, dicitur : ore est repart devenu moyne, set non caret si diligenti discutione conscientie precedente, nichil iungunt uiciosum quia Deus constituit eam testem et accusatricem et excusatricem cui credit in omnibus nisi erret. Securum testimonium habebat ille qui dicebat, Act. XXIII (1) : *ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum.* Sequitur (II Cor. 1, 12) : *quod in simplicitate.* [79va] Sicut plicata uestis contrahit uermes a quibus consumitur, sic conscientia angulosa que non explicatur in confessione contrahit remorsum. Bene tamen deberet desplair merces suas quia optime potest uendere, quia proculpa gloriam habet. Prou. (28, 18) : ambulans *simpliciter saluus erit.* Job (1, 1) : *erat simplex et rectus.* Sequitur (II Cor. 1, 12) : *et scinceritate.* Non sic qui post lacrimas penitentie precedentis addunt puluerem peccati et fit lutum quo amplius quam prius maculatur. Ergo scitis scinceres et sine offensa. Sequitur (II Cor. 1, 12) : *non in sapientia carnali.* Si homo regetur ab uxore dissoluta et leui, non est mirum si cito depauperatur et nudatur, sic homo qui regitur a carne que nescit nisi comedere, bibere et loqui, cito nudatur a conuersatione sanctitate, ymmo spiritualiter uita spoliatur *quia prudentia carnis mors est,* Ro. (8, 6). Non est *ista sapientia desursum set terrena animalis et dyabolica,* Ja. 3 (15). Sequitur (II Cor. 1, 12) : *set et gratia Dei conuersati sumus.* In hoc mundo homini induito et bene munito consultur quod ambulet de die, sic bene conuersanti quod uadat in die gratie sine qua omnia que facit dyabolus furatur, cum qua Deus omnia que facit acceptat. *Sufficit tibi gratia mea,* (II) Cor. (12, 9).

Circa secundum nota quod sicut color animalis naturalis amittitur, nisi per sumpcionem cibi subueniatur propter contrarietatem que est in corpore, sic de corde conuersationis propter contrarietatem carnis et spiritus, nisi ei subueniatur ex bono frequenti opere quo nutritur et habituatur³ firmus, alioquin caro per frequentes motus posset inficere et maculare. (I) Pe. I (14) : [79vb] *non configurati prioribus ignorantie uestre desideriis.* Sicut inter dissolutos non potest delicata uestis diu integra custodiri, sic innocens conuersatio inter desideria carnis que hominem dissoluunt dum eis acquiescit. Ipsa enim semper errat ; ideo eius conuersatio debet spoliari. Ephe. III (22) : *deponite uos secundum pristinam conuersationem ueterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris.* Set dicit *ignorantie nostre.* Multum ignorans reputatur qui de bono genere et in bona societate est et potest habere bonum habitum si est in uili habitu. Sic tu es ad ymaginem Dei, ecce genus de societate

¹ in – porte] ingressu B.

² uestitus] uictum P.

³ habituatur] humilitatur B.

angelorum quoad spiritum solum, pietas habitum gratie sicut debes et habebis, alioquin ignoraberis ab eis quia ignorans. Sequitur (I Pe. 1, 15) : *set secundum eum qui uocauit uos sanctum.* Magnus honor [est] quia uocauit ad robas suas, scilicet sanctas, id est sanguinem tractas. Iste fuerunt ille care robe quas habuit quando desponsauit ecclesiam. *Sponsus sanguinum tu mihi es,* Ex. (4, 25). Set pauci uolunt eius robas portare in penitentia que conformat nos passioni set cum scriptum est, (I) Thess. (4, 7) : *non enim uocauit nos Deus inmunditiam set in sanctificationem.* Sequitur (I Pe. 1, 15) : *set secundum eum qui uocat uos sanctum ut et ipsi cum conuersatione sancti scitis.* Non reputatur habere robam integrum si deficiat uel uestimentum unum uel pars una, sic non est conuersatio bona simpliciter nisi ex omni parte homo sit bene informatus, nam si esset bene compositus in omnibus [80ra] set impudicus quoad affectum, totum corpus mortale turpe esset. Ideo oportet habere camisiam castitatis, tunicam strictam abstinentie, largum super tunicae caritatis et misericordie, taberdum patientie. Heb. III (13, 18) : *confidimus quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene conuersari uolentes.* Sequitur : *sancti scitis.* Non potest diu roba custodiri nisi sit de panno fortis ; sic nec conuersatio nisi sit cum firme proposito. Unde homo si sit sic firmatus in Deo quod pro nulla re committeret illicitum. Tob. ult. (14, 17) dicitur : *omnis cognatio et omnis generatio eius in bona uita et in sancta conuersatione permanxit.*

Circa tertium nota quod ideo uult Deus quod sancti sint in celo per similitudinem uite eleuati, ut filii ad eos respiciant quia conuersatio sancta lux est et sic de eis conformat accipiendo conuersationem celestem. Unde Dan. (4, 9) : *uelucris celi conuersabantur in ramis et de fructu eius uesceretur.* Conuersationem uestram inter gentes habentes bonam, (I) Pe. II (12). Ad uestes possunt perpendi qui sunt de festo. Sic conuersatio ostendit quales sunt de festo celi, integritas indiuisibilis, conuersationem simul uersationem proprietas inomissibilis¹, uestram, speciositas appetibilis, inter gentes habentes, non habent robam integrum qui non perseverat set modo sanctus modo malus, prosecutionem in sermone predicto et adde pro membro ultimo illud Ja. III (13) : *quis sapiens et disciplinatus inter uos ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientie,* sapiens sic bene ordinatus interius et [80rb] disciplinatus et bene ordinatus exterius. *Disciplinam et scienciam doce me* (Ps. 118, 66). Secundum scolam quam quis frequentat et librum in quo legit potest iudicare de sciencia in qua uult erudiri. Sequitur : *inter uos.* Quando bona domina sola est in domo, non multum curat de ornatu, set quando uadit extra. Sic anima sancta, quando est in contemplatione sue conscientie, non cogitat nisi de Deo, set quando est in societate proximorum, tunc debet bone actioni uacare propter edificationem proximorum. Set aliqui sunt sicut fatui qui attendunt lumen de die et de nocte non, sic inter bonos lucent inter malos non.

¹ proprietas inomissibilis] properet enim inamissibilis corr. P, proparet enim incommissibilis B.

SERMON 29

Vingt-troisième dimanche après Pentecôte.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 80rb-84ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 45rb-48rb ; Rome, Bibl. Apost.

Vatic., Borgh. 247, f. 183rv.

Plan :

Thème – L’attente fait naître l’impatience. Exemple du cuisinier qui prépare le repas. Comparaison Dieu/cuisinier.

Division – Pour inciter à la patience, les plats préparés par Dieu sont :

I – La présence de Dieu, qui calme le désir. L’attribution des prébendes célestes conduit à la béatitude, selon 4 règles :

- a. droit de succession
- b. choix
- c. par legs
- d. selon le droit féodal

F. 80rb : *Saluatorem exspectamus Dominum nostrum Jhesum Christum*, ad Phil. III (Phil. 3, 20).

[Thème] Vulgare proverbum reputat absurdum modicum prandium diu exspectatum : si enim coquus qui habet multa fercula parare facit homines diu exspectare et ieunare, patientiam habent propter bonum¹ prandium quod exspectant. Set quod coquus exile prandium paret et tamen faciet diu exspectare, hoc non portabatur bene patienter. In quibus noster coquus communiter habet istum modum quod quando nichil habet parare preter cibum conuentualem, oua solum et potagium, tunc non facit nos diu exspectare, ymmo statim pulsatur ad cymbolum, tempestive uocantur ad prandium. Set quando debet esse bona pictancia in conuentu quia coquus habet plura solito more parare², facit nos diutius exspectare et plus solito ieunare ; tamen, ut dixi, patientiam habemus quia bonam |80va| pictanciam exspectamus. Ymmo plus, illud est nobis signum quod debemus pictantium bonam habere, quando coquus facit nos diu exspectare. Econtra signum est et argumentum quod nichil debemus habere preter cibum conuentualem³, quando⁴ tempestive uocantur ad prandium. Quamvis ergo iuxta uulgare proverbum tedium sit diu exspectare miserum prandium, tamen ille qui bonam pictanciam sperat, patienter et grataanter exspectat. *Gemma gratissima exspectatio prestolantis*, Prou. XVII (8). Hoc ideo dixi quia presens mundus est quasi quidam conuentus in quo tot sunt fratres conuentuales, quot homines. *Fratres enim sumus*, in Gen. (13, 8). Hic est conuentus de quo dicit Ps. (63, 3) : *protexisti me a conuentu malignantium*. Mundus conuentus malignantium est quia *mundus totus in*

¹ bonum] ferculum add. et exp. B.

² solito – parare] parare solito more B.

³ cibum conuentualem] conuentualem cibum B.

⁴ quando] testi add. et exp. B.

maligno positus est, (I) Jo. V (19). Coquus qui parat cibum toti conuentui hominum, ymmo toti communitati uiuentium, Dominus est. Ps. (144, 15) : *oculi omnium in te sperant Domine et tu das escam illorum in tempore oportuno*. Alibi (103, 27) : *omnia a te exspectant ut des illam escam in tempore*. Dicit *omnia* quia non solum hominibus, uerum etiam *iumentis dat escam ipsorum et pullum coruorum inuocantibus eum* (Ps. 146, 9). Sic habemus conuentum et coquum. Coquus iste quibusdam parat optimam pictanciam, scilicet illis quos predestinavit : *parasti cibum illorum quoniam ita est preparatio eius* (Ps. 64, 10). Aliis¹ parat exile prandium solum conuentualem cibum scilicet illis quos pascit in presenti bonis temporalibus. Solum illud prandium exiguum est, ymmo nullum respectu illius pictantie quam in celis exspectamus. Sap. (7, 9) : *omne aurum in comparatione [80vb] illius arena est exigua* et diuitias nichil esse dixi in comparatione illius. Et pro Deo quo signo poterimus cognoscere qui sunt illi quibus coquus parat bonam pictanciam, qui sunt predestinati ad uitam et qui non ? Ecce signum et argumentum ualde probabile : quando coquus uocat tempestiuus ad mensam, pascit aliquos in uita presenti, dat eis delicias, diuitias et honores, magnam prosperitatem et peccuniariam sanitatem. Signum est multum probabile quod non parat eis in celis bonam pictanciam. Gregorius² : « Continuus successus bonorum temporalium eterne damnationis est indicium. » Ergo non gaudeant nec gratulentur diuites si tempestiuem uocantur ad mensam, si in tempore uite presentis habent refectionem, recreationem et consolationem suam, quia in Luca (6, 24-25) : *ue uobis diuitibus qui habetis consolationem uestram, ue uobis qui saturati estis quia esurietis*. Signum est quod ipsi in celis non exspectant bonam pictanciam. Je. VIII (15) : *exspectamus pacem et non erat bonum*. Sperabimus habere bonam pictanciam, *tempus medele et ecce formido* (Jer. 8, 15). Set econtra signum quod Dominus parat aliquibus bonam pictanciam, quando facit eos iejunare et exspectare usque ad uesperam, quando permittit eos in presenti uita esurire et miserias uite presentis habere ; in Luca (6, 21) : *beati qui nunc esurient quia saturabuntur* etc. Ergo non indignantur nec moleste ferantur pauperes si modo ieunent, quia signum est quia pictanciam bonam exspectant. Dicit Beda³ in glosa super illo uerbo (Jac. 1, 2) : *omne gaudium [81ra] existimate fratres* etc. : « Ne indignemini si mali in mundo florent et uos patimini quia non est christiane dignitatis in temporalibus exaltari set deprimi. Mali nichil habent in celo, uos nichil in mundo. Set spe illius boni ad quem tenditis⁴ quicquid in uia contigerit gaudere debetis. » Set unde hoc quod illi qui diu iejunant habebunt in celis pictanciam, et econtrario qui tempestiuem uocantur ad prandium illa pictancia celesti carebunt ? Ecce regula est apud mathematicos quod linee non parallele⁵.

¹ aliis] alias P.

² Non inueni.

³ Manipulus florum, Tribulatio AM (Beda et est glossa super illud Jacobi *omne gaudium exi fratres*) ; Glossa, IV, p. 512.

⁴ tenditis] tendimus B.

⁵ parallele] etc. add. B.

[Division] Recolligo¹ que dixi et concludo. Dux primo quod iuxta uulgare prouerbium tedium sit diu exspectare miserum prandium. Ille tamen qui bonam pictanciam sperat, patienter, ymmo gaudenter, exspectat. Dux secundo quod pauperibus qui nunc esuriunt et ieunant coqus parat in celis pictanciam ualde bonam. Ps. (67, 11) : *parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* O bone Jhesu, si pauperes qui modo ieunant et miserias multas habent, scirent qualis et quam sollempnis est illa pictancia quam exspectant ! *Quia oculus non uidet Deus absque te,* Ysa. XLIII (4). Si, inquit, scirent uel bene cogitarent, non dubito quod ipsi paupertatem suam patienter, ymmo gaudenter, portarent, ad Cor. VIII (Rom. 8, 25) : *si quod non uidimus speramus, patienter exspectamus.* Et que est illa pictancia quam pauperes exspectant in alia uita ? Ps. (38, 8) : *nunc que est exspectatio mea nonne Dominus* etc. Ad istum ergo finem, ut patienter portamus miserias uite presentis, Apostolus ostendit qualis est, qua sollempnis pictancia quam exspectamus in celis, dicens uerbum |81rb| primo propositum : *Saluatorem exspectamus* etc. In quibus uerbis apparet quod in illa celesti patria parantur nobis tria fercula. Primum est Dei presentia qua mentis desiderium quietatur, *exspectamus.* Secundo eius clementia qua reis remedium indulgetur, *Saluatorem.* Tertio omnipotentia ut nichil contrarium aduersetur. *Dominus Jhesum Christum,* Hest. XIII (11), *Dominum omnium es nec est qui resistat maiestati tue.*

[I] De primo nota quod sede apostolica multum diu uacante, in ecclesiis cathedralibus sunt nulli uel paucissimi exspectantes, set summo pontifice nouiter creato et eo faciente gratias generales, tunc in ecclesiis cathedralibus preter iam prebendatos sunt plurimi exspectantes, et hec est differentia inter exspectantes et iam prebendatos quia iam prebendati, ex quo possessionem habent et fructus prebende percipiunt, in tuto sunt si reuocentur gratie papales ; propter hoc nichil perdunt. Set exspectantes, nondum possessionem habentes nec fructus prebende percipientes, in periculo sunt si papa idem uel aliis reuocet gratias concessas : ipsi totum amittunt nec de cetero habent ius in aliqua prebenda uacante, nisi de nouo concedantur alie gratie. Hoc ideo dixi quia ecclesia sanctorum est quasi quedam ecclesia cathedralis habens optimas prebendas et beneficia sine omni cura. Cantamus² : « O quam iocunda curia, que cure prorsus nescia. » In ea tanquam in ecclesia cathedrali est solium illud, sedes episcopalum quam uiderat Ysaias cum dicebat (6, 1) : *uidi Dominum sedentem super solium* etc. Summus autem pontifex ad quem spectat collatio beneficiorum ibi uacantium |81va| Christus est. Ad Heb. IX (11) : *Christus assistens pontifex futurorum bonorum,* quasi dicat : ad eum spectat collatio futurorum beneficiorum. Ante eius pontificatum, ante Christi aduentum in ecclesia sanctorum preter iam prebendatos, preter angelos iam beatos, nulli exspectantes erant quia homines in exspectatione celestis prebende nullum ius habebant. Hoc fuit figuratiue dictum in secundo Hesdre ubi dicitur (5, 40) : *ne participantur sancta donec exurgat pontifex indutus in ostensione, ne participantur sancta,* id est nulli impariatur uel conferatur celestis prebenda, *donec exurgat* etc., id

¹ recolligo *om. B.*

² Adam de Saint-Victor, *Sequentiae*, cap. 34 (de omnibus sanctis) (PL 196, 1528A).

est donec Christus pontifex manifestetur per aduentum in carnem. Ratio huius quare tunc nullus erat exspectans fuit quia, Adam peccante, gratie concesse sibi et posteritati sue fuerunt reuocate ; quibus reuocatis tota posteritas Ade priuata est iure quod habere poterat in exspectatione celestis prebende. Eze. XIX (5) : *infirmitata est ut pariit exspectatio eius.* Tunc ergo quasi sede apostolica diu uacante, tempore id est legis scripte et legis nature, quia non erat tempus gratie, nullus exspectabat prebendam celi, gloriam ; quilibet exspectabat prebendam inferni, miseriam. Hoc fuit figuratue dictum II Mach. III (21) ubi dicitur quod *erat misera commixte multitudinis exspectatio.* Dicit *commixte multitudinis* quia mixti omnes boni et mali exspectabant miseram, prebendam inferni, set summo pontifice nouiter creato, Christo recenter nato, concesse sunt gratie generales. Jo. (1, 17) : *gratia et ueritas per Jhesum Christum |81vb| facta est.* Post gratias generales facti sunt in ecclesia sanctorum preter iam prebendatos plurimi exspectantes. Ad Tytum II (11) : *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri hominibus.* Ecce gratie generales. Sequitur (2, 12) : *ut abnegantes impietatem etc. Sobrie uiuamus in hoc seculo exspectantes beatam spem* (Tit. 2, 12-13). Ecce qui habent summi pontificis gratiam exspectant prebendam celi, beatitudinem. Dicit autem *abnegantes impietatem* quia propter unicam impietatem summus pontifex reuocat gratiam concessam et ita propter unicum peccatum mortale homo priuatur iure quod habebat in exspectatione celestis prebende. Prou. X (28) : *exspectatio iustorum letitia spes autem impiorum peribit.* Propter hoc dicit Petrus II canonica sua (3, 11) : *oportet uos esse in sanctis conuersationibus et pietatibus exspectantes.* Ex hiis omnibus patet quod que est differentia inter exspectantes et iam prebendatos, talis est inter nos et beatos. Beati enim quasi iam prebendati in tuto sunt : beatitudinem perdere non possunt, fructus prebende percipiunt¹ prebenda nichil aliud est quam Dei presentia qua quietatur mentis desiderium. Fruuntur enim nec fastidiunt quo frui magis sitiunt. *Set uos similes hominibus exspectantibus etc.* in Luca (12, 36). In periculo sumus continue ne gratia summi pontificis reuocetur propter aliquod peccatum mortale, et sic preuenitur exspectatione celestis prebende. Hoc periculum timebat propheta Dauid qui dicebat (Ps. 118, 116) : *suscipe me secundum eloquium tuum et uiuam et non confundas me ab exspectatione mea.* Ad |82ra| differentiam ergo beatorum qui sunt iam prebendati, dicit Apostolus in persona uiatoris : *exspectamus*, quasi dicat : nondum sumus prebendati set habemus ius in celesti prebenda a summo pontifice nouiter concessa. Idem dicitur Tob. II (18) : *filii sanctorum sumus et uitam illam exspectamus quam Deus datus est hiis qui fidem suam numquam mutant ab eo.* Ubi patet quod celestis prebenda est nobis debita quadruplici iure.

[a] Primo iure successionis hereditarie, *quia filii sanctorum sumus*, secundo iure acceptioonis uel electionis uoluntarie, *quia uitam illam exspectamus*, tertio iure donationis legatarie, *quam Deus datus est*, quarto iure cencionis fiodarie, *hiis qui fidem* etc. Primo, inquit, iure successionis hereditarie *quia filii* etc. Apostolus dicit Ro. VIII (17) : *quia si filii et heredes quidem Dei* etc. et si filii utinam sic, si pro quia, non si pro non. Secundum ethymologiam nominis, filius dicitur *quia*

¹ percipiunt] que add. P.

fit ut ille, nomen aut est absonum quod rei non consonat, aut illi¹ solum consonat nomen filiationis. Solum illi digni sunt uocari filii sanctorum qui fiunt ut illuminantes sanctitatem eorum. Apostolus (I Cor. 11, 1) : *ymitatores mei estote sicut filii.* Propter hoc legimus in Jo. (8, 33) quod Judeis iactantibus se et dicentibus : *semen Abrahe sumus* etc. Item pater noster Abraham est, Christus statim obiecit (8, 39) : *si filii Abrahe estis, opera Abrahe facite.* Ex hac Christi obiectione quod illi non sunt digni uocari filii sanctorum qui non sunt ut illi ymitantes sanctitatem eorum, similes sunt illi filio prodigo qui dicebat in Luca (15, 21 ; 19) |82rb| : *pater peccavi* etc. *Jam non sum dignus uocari filius tuus. Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Sicut enim olim iudei gloriabant se esse filios Abrahe, ita nunc gloriantur clerici se esse principales inter filios Dei. Sap. V (5) : *computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est.* Cleros grece, sors latine. Modo uideamus : aut sunt digni uocari filii uel potius mercenarii. Aliter reparat domum ruinosam mercenarius carpentator uel lathomus, aliter filius successor hereditarius. Mercenarius enim carpentator uel lathomus qui pro mercede reparat domum ruinosam, plus habet oculum ad peccuniam lucrandum quam ad ruinam domus reparandam. Si uidet domum ruere, parum curat, ymmo gaudet quandoque propter lucrum quod inde exspectat. Set filius qui hereditario iure domum inhabitat, si uidet domum ruere, multum curat quia scit dampnum ruine esse suum nec habet oculum ad peccuniam lucrandum set ad domus ruinam reparandam. Quilibet uir ecclesiasticus, curatus, archidiyaconus et episcopus inhabitat domum Dei ecclesiam tamquam filius et successor hereditarius. Ad litteram uiri ecclesiastici succedunt in patrimonio crucifixi. Modo tu curatus uel prelatus, uidens domum tuam tota die ruere, uides ruinam in multis lateribus, in multis personis tue cure subiectis. *Multiplicata est in eis ruina,* Ps. (105, 29). Ex quo filius es, teneris reparare ruinas, emendare defectus. Alias dampnum ruine uertetur super te, quia III |82va| Reg. (20, 39) dicitur : *si lapsus fuerit erit anima tua pro anima illius.* Dampnum ruine imputabitur² tibi. *Ruina hec sub manu tua,* Ysa. (3, 6). Modo ponamus quod tu repares ruinas, emedes defectus : facisne hoc ut filius uel mercenarius ? Certe si plus habes oculum ad peccuniam lucrandum. Quando punitur³ pena peccunaria quantum ad ruinam reparandam, quantum ad conscientiam subditi emendandam, iam non est dignus uocari filius set uilis mercenarius. Figuratur quicumque talis per illum Jacob qui habitabat in domo Laban tamquam mercenarius. *Immutasti, inquit, mercedem meam* (Gen. 31, 41). Iste Jacob uoluit pro mercede habere oues maculosas, ideo decorticat uirgas in parte ad quarum aspectum oues concipiebant fetus maculosos in Gen. (31, 8). Jacob uolens habere pro mercede oues maculosas significat istum qui plus uult habere sub cura et regimine suo homines criminatos quos possit punire et ab eis peccunias extorquere quam homines iustos et probos, talis decorticat uirgas in parte. Virga correctio tunc decorticatur in parte quando corrigitur bursa et non conscientia. Audientes⁴ hoc oues subditi concipiunt fetus maculosos, maculosa proposita cogitant quod secure possunt peccare, quia

¹ illi] illis P, ils B.

² imputabitur] imputabatur B.

³ punitur] punis P, quando punitur] quam penis B.

⁴ audientes] audentes P.

per bursam poterunt euadere. In Leuitico (6, 30) fuit sic statutum quod *hostia que ceditur pro delicto non comedetur set igne comburetur*. Hostia ceditur pro delicto quando subditus punitur pro peccato suo. Hostia hec non debet comediri set igne comburi quia talis correctio non debet procedere ex auida cupiditate, sic esset eam comedere, set ex feruida [82vb] caritate, hoc est eam ignem comburere. Timere debent qui contrarium faciunt ne contingat eis sicut olim contigit filiis Aaron, qui *posuerunt ignem alienum in thurribulis et egressus ignis a Domino deuorauit eos* (Lev. 10, 1-2). In ecclesia est duplex ignis, proprius et alienus ignis, proprius qui in altari ecclesie continue debet ardere est caritas de qua dicit Christus (Luc. 12, 49) : *ignem ueni mittere in terra* etc. Ignis alienus est cupiditas : sicut enim ignis in aliena materia ut in ligno uel stupa continue crescit, satiari non potest, sic cupiditas est insatiabilis. Ecci. (Eccle. 4, 8) : *non satiantur oculi eius diuitiis*. Ecce cupiditas est ignis qui *numquam dicit sufficit*, in Prou XXX (15). Illi ergo ponunt ignem alienum in thurribulis qui tribulant et puniunt subditos, moti non caritatis feruore, qui est ignis proprius, set cupiditatis ardore, qui est ignis alienus. Timere debent¹ isti ne egrediatur super eos ignis ultionis diuine de quo dicitur in Ps. (Deut. 32, 22) : *ignis succensus est in furore meo* etc. Iterum thurribulum est instrumentum cum quo offertur sacrificium Deo. Illi ergo offerunt ignem alienum in thurribulo qui offerunt Deo sacrificium moti magis cupiditatis ardore, scilicet ut peccuniam habeant, quam caritatis amore. Tales sunt illi qui numquam celebrant nisi debeant habere bonum offertorium. Tales sunt canonici qui non intrant chorum nisi quando est bonum anniversarium. Illi sunt filii Agar qui exquisierunt prudentiam que decerta est *negociatores terre* in Baruch (Apoc. 18, 11). Tales non sunt filii sanctorum quia sanctum dicitur [83ra] siue terra siue affectione terrena set filii sanctorum sunt qui ymitantur sanctitatem eorum. Talibus debetur iure hereditario prebenda celorum quia si filius et heres per Deum.

[b] Secundo iure acceptio seu electionis uoluntarie, quia *uitam illam exspectamus* (Tob. 2, 18) : quando datur alicui actio eligendi alterum de duobus, uerbi gratia in diuisione hereditatis paternae, facta diuisione partium, datur primogenito actio eligendi illam partem que melius placet sibi ; tunc ipsa electio uel acceptio sua dat sibi ius in parte electa ut² priuat eum iure quod habere poterat in alia parte, set uerum est quod quando talis diuisio et electio fit per sortes, quandoque in eligendo est magna deceptio et credens eligere partem meliorem eligit deteriorem. Ratio est quia ille qui tenet sortes in manu facit sibi³ fraudem. Dicit sic : hic sunt due sortes, forte due festuce ; qui habebit sortem uel festucam breuiores habebit meliorem partem ; econtrario qui longiores habebit partem deteriorem. Tunc ipse sortem uel festucam illam, cui debetur melior porcio, abscondit totaliter infra manum suam, sic quod nichil eius appetet, aliam autem, qui debetur porcio deterior, duplicat et duas extremitates eius facit extra apparere, ac si essent due sortes uel due festuce, cum tamen sint tantum una. Tunc ille qui festinat prius eligere, credens illas duas extremitates esse duas sortes, eligit unam et

¹ debent] habent P, B.

² ut] et B.

³ sibi] ibi B.

illam trahendo trahit secum aliam. Sic decipitur ille qui festinat eligere |83rb| primus et lucratur ille qui exspectauit trahere ultimus. Ad propositum cuilibet nostrum datur actio eligendi alterum duorum. Ecc. XV (18) : *ante hominem uita et mors bonum et malum quodcumque placuerit ei dabitur illi.* Similiter Deut. XXX (15) : *considera quod hodie proposuerit in conspectu tuo uitam et bonum, et econtrario mortem et malum.* Ita electio fit quasi per sortes. Sicut enim sortes eliguntur que correspondent parti meliori et deteriori¹, electio boni et mali correspondent uite et morti. Ecc. XXXVI (37, 21) : *quatuor partes oriuntur, uita et mors, bonum et malum.* Ergo eligenti uoluntarie malum culpe debetur iure acceptionis uoluntarie mors Gehenne, *stipendia peccati mors* (Rom. 6, 23) et priuatur talis iure quod habere poterat in parte meliori in uita glorie, quia *omnis fornicator* etc. (Eph. 5, 5) non habet partem in regno patris et Dei. Set econtra eligenti bonum uoluntarie debetur iure uoluntarie electionis uita glorie. Ps. (33, 13 ; 15) : *quis est homo qui uult uitam* etc. Sequitur : *diuerte a malo et fac bonum.* Set unde hoc quod tot hodie decipiuntur in eligendo ? Plures enim sunt qui eligunt mortem et malum quam qui eligant uitam et bonum. *Est uia que dicit ad uitam et pauci intrant per eam* (Mt. 7, 14). Causa est quia dyabolus decipit homines, sicut decipiuntur illi qui eligunt per sortes, sicut iam usum est. Habemus hic duas sortes quarum quelibet habet duas extremitates, sors prima et melior, bonum et uitam, meritum et premium, illa duo pertinent ad eamdem sortem. Sors secunda deterior habet malum et mortem, |83va| malum culpe et mortem Gehenne, que etiam pertinent ad eandem sortem. Modo dyabolus recte facit sicut tenens sortes in manu. *In manibus tuis sortes mee* (Ps. 30, 16). Sortem enim meliorem uitam et bonum abscondit totaliter et occultat, impedit hominem quantum potest ne cogitet de salute sua de uita eterna. *Abscondit in manibus suis lucem*, dicitur in Job (36, 32). Item sors illa est nobis abscondita quamdiu sumus in hac mortali uita, quia de beatitudine non possumus noticiam claram habere. *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*, Luc. XIX (42). *Abscondisti hoc a sapientibus* etc. (Mt. 11, 25). Sic ergo sors prima manet abscondita set sortem secundam malum et mortem dyabolus ostendit patenter, non quidem ut unam set ut duas sortes. Ex una enim parte offert homini dilectionem culpe, promittit enim diuitias, delicias et honores. Ita fecit ipse uolens Christum temptare, ostendit enim omnia regna mundi dicens : *hec omnia tibi dabo* etc. (Matth. 4, 9). Ab illa autem exteriore, scilicet a presenti dilectione, separat aliam mortem Gehenne. Promittit homini longam uitam ut possit finaliter penitere in Gen. (3, 5) : nequaquam moriemur *set eritis sicut dii.* Et quid facit peccator allactus misera dulcedine presentis uite et nunc cogitans dulcedinem sortis absolute ? Ps. (30, 20) : *quam magna multitudo dulcedinis tue Domine quam abscondisti timentibus te.* Item non auertens quod ille due extremitates, presens gaudium et futurum supplicium pertinent ad unam sortem, *risus dolore miscebitur et extrema gaudii |83vb| luctus occupat* (Prou. 14, 13), hoc enim non auertens festinet ad se trahere alteram extremitatem, presentem dilectionem, et hanc eligendo trahit secum mortem. Apo. III (18, 7) : *quantum glorificauit se et in deliciis fuit tantum date ei tormentum et luctum.* Sic decipiuntur

¹ deteriori] sit add. B.

qui eligunt mortem et malum. In persona talium loquitur sapiens, Sap. II (6) ubi dicit : *uenite, fruamur bonis que sunt et utamur creatura tamquam in iuuentute celeriter.* Ecce quomodo festinant eligere. Sequitur : *coronemus nos rosis antequam marcescat. Ubique relinquamus signa letitiae nostre quantum hec est pars nostra.* Sequitur (Sap. 2, 8) : *hec cogitauerunt et errauerunt.* Vis ergo non decipi : non festinas eligere sortem apparentem, bonum apparens, presentem delectationem, set exspecta ut habeas sortem absconditam, uitam eternam. *Vita uestra abscondita est cum Christo,* ad Colo. III (3). Hanc sortem exspectabat ille qui dicebat in Tren. (3, 24) : *pars mea Dominus dixit anima mea propterea exspectabo eum.* Ita exspectabat Thomas cum dicebat (Tob. 2, 18) : *uitam illam exspectamus.* Ad omnia ista figuram habemus, Je. XXI (8-9) primo, ubi dicitur : sis *ecce ego do coram uobis uiam uite et uiam mortis qui habitauerit in urbe hac morietur gladio et fame et peste.* *Qui autem egressus fuerit et transfugerit uiuet, quia eligentes habitare in urbe hac moriuntur gladio, fame et peste.* Hoc figuratiue significat quod qui eligunt habitare in tabernaculis peccatorum morientur triplici morte, scilicet morte culpe, morte nature, morte Gehenne. Set *qui egressus trans|84ra|fugerit uiuet* significat quod qui egreditur de mundo per affectionem exspectans sortem absconditam, Mich. VII (7) : *ego autem ad Dominum conspiciam, exspectabo Dominum Salvatorem meum,* talis, inquam, uiuet uita gratie in presenti et glorie in futuro. Tunc enim apparebit sors nunc abscondita, quia (Col. 3, 4) *cum Christus nunc apparuerit uita uestra tunc* etc. Ad quam non perducat.

SERMON 30

Collation.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 84ra-85rb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 48rb-49va.

Plan : voir plan du sermon précédent.

F. 84ra : Tertio pro collatione.

[c] Celestis prebenda est nobis debita ratione donationis legatarie. *Quam Deus daturus est* (Tob. 2, 18). Non dicit quantum Deus dat donatione inter uiuos. In hoc differt prebenda triumphantis ecclesie a prebendis et beneficiis ecclesie militantis, quia prebenda ecclesie triumphantis datur donatione legataria, non¹ donatione inter uiuos ; nam² econtra beneficia huius militantis ecclesie dantur donatione inter uiuos solum. Primo quidem celestis prebenda non datur donatione inter uiuos, quia uisio beata nulli communicatur. In hac mortali uita *non uidebit me homo et uiuet* in Ex. (33, 20). Set econtra beneficia huius militantis ecclesie dantur donatione inter uiuos tantum quia bona temporalia possidentur in hac uita solum. Job XXXVII (27, 19) : *diues cum dormierit nichil secum afferet, aperiet oculos suos et nichil inueniet*. Ex hoc sumit Ambrosius³ argumentum quod ista non sunt uera bona : « Non sunt hominis bona que secum ferre non potest, sola misericordia comes est defunctorum ». Item celestis prebenda non datur donatione inter uiuos. Que donatio currit hodie inter uiuos ? Certe illa qua⁴ totum datur diuitibus et illud modicum quod habent pauperes [84rb] ab eis aufertur. Juxta illud Luc. XIX (24) : *auferte ab illo mniam et date ei qui x mnas habet*. Hanc parabolam exponens, Christus dixit (Matth. 25, 29) : *habenti dabitur et habundabit* etc. Illa non est donatio legataria quia legata dantur⁵ pauperibus. Narra, si uis, de usurario⁶ faciente testamentum etc. Sic ergo beneficia et dignitates militantis ecclesie dantur donatione inter uiuos solum⁷ diuitibus. Set prebenda celestis econtra solum⁸ pauperibus datur. *Dispersit, dedit pauperibus*, Ps. (111, 9). *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum celorum*, Mt. V (3). Set diuites ea priuantur quia *facilius est camelum* etc., Mt. XIX (24). Ratio est quia, secundum statutum papale, unus non potest in duabus ecclesiis duas dignitates tenere, unde habens dignitatem unam si uult aliam meliorem habere, oportet quod resignet primam. Reuera statutum est summi pontificis Christi quod nullus possit habere dignitatem ecclesie triumphantis nisi resignet dignitatibus, beneficiis, honoribus ecclesie militantis,

¹ non] tantum *P, B*.

² nam] non *B*.

³ *Manipulus florū*, Auaritia K (Ambrosius in quodam sermone) ; Ambrosius Mediolanensis, *Expositio euangelii secundum Lucam*, VII, 122 (M. Adriaen, SL 14, 1957, p. 255).

⁴ qua] que *P*.

⁵ dantur] debent *P, B*.

⁶ Exemplum 6.

⁷ solum] solis *B*.

⁸ solum] solis *B*.

nisi qui renuntiauerit omnibus que possidet etc. in Luca (14, 33). Ibidem dicit Jeronimus¹ : « Difficile est, ymmo impossibile, ut presentibus et futuris quis fruatur bonis, ut hic uentrem et illic mentem repleat, ut de deliciis ad delicias², ut in utroque seculo primus [sit], ut hic et in futuro appareat gloriosus. » Item donatio que currit hodie inter uiuos est illa que datur propinquis parentibus consanguineis istis. Describuntur hodie dignitates et beneficia ecclesie militantis ; non sic de beneficiis triumphantis ecclesie, quia *caro et sanguis regnum Dei possidere* |84va| non possunt, prima Cor. XV (50). Propter hoc matre filiorum Zebedei petente pro filiis qui erant consanguinei Christi prebendam ecclesie triumphantis, *dic*, inquit, *ut sedeant hii duo filii mei* etc. (Matth. 20, 21). Christus respondit (Marc. 10, 40) : *sedere ad dexteram meam uel sinistram non est meum dare uobis*, non supple donatione inter uiuos ratione consanguinitatis, *set quibus paratum est* etc. (Matth. 20, 23). Patet ergo quod prebenda celestis non datur donatione inter uiuos, set dico quod datur legatione legataria secundum Apostolum, ad Heb. IX (17) : *testamentum in mortuis confirmatum*. Testator, quamdui uiuit, otest testamentum reuocare uel renouare sicut placet sibi, et ideo ante mortem eius legatarius in se sibi legata non habet firmum ius, set testatore mortuo per donationem legatariam acquiritur sibi ius in legato. Heb. IX (16) : *ubi testamentum est mors necesse est ut intercedat testatoris*. Set quid facit testator ? Habet duos filios, unum legitimum, alium spurium. Spurio dat donatione inter uiuos aliqua de mobilibus suis set legitimum filium in testamento heredem instituit. Spiritualiter testator de cuius testamento uendicamus ius in hereditate celesti Christus est. Ad Heb. IX (15) : Christus *noui testamenti mediator est ut morte intercedente repromotionem accipient qui uocati sunt eterne hereditatis*. Ante mortem Christi nullus habebat ius in hereditate celesti, set mortuo testatore hereditas illa est nobis debita iure donatione legatarie. Verum est tamen quod testator ille habet quosdam filios spurios, scilicet peccatores, quibus dat |84vb| donatione inter uiuos bona mobilia, bona uite presentis que sunt mutabilia. *Ecce ipsi peccatores et abundantes in seculo optinuerunt diuitias* in Ps. (72, 12). Set alii sunt filii legitimi qui iure donationis legatarie sunt heredes regni. Figuram habemus in Gen. (25, 7) ubi Abraham *filiis concubinarum largitus est munera*, set filio suo Ysaac dedit hereditatem ; propter hoc dicebat Tho. (2, 18) : *uitam illam exspectamus quam Deus datus est*, quasi dicat : non quero beneficia qui dantur donatione inter uiuos, bona uite presentis, set exspecto prebendam quam Deus datus est in futuro que etiam est mihi debita ex Christi legato. *Memorabitur enim testamenti sui sancti iusurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis*, Luc. I (72-73).

Quarto iure intentionis feodotarie. *His qui fidem* etc. (Tob. 2, 18). Et feodarius regens, tenens ab eo in feodo³ uillam uel castrum, tenetur sibi pro feodo quem tenet facere homagium. In homagio autem sunt duo : recognitio domini et promissio fidelitatis. Facto homagio, quamdui feodarius

¹ *Manipulus florū*, Prosperitas G (Hieronymus in quadam epistula) ; Hieronymus, *Epistulae*, 118, 6 (I. Hilberg, CSEL 55, 1996, p. 444).

² *delicias*] transeat add. B.

³ *feodo*] fiendum P.

dominum recognoscit et fidem non frangit, dominus non potest eum iuste priuare feodo pro quo¹ homagium fecit ; set si fidem frangat uel dominum non recognoscat, meretur perdere feodum quem tenebat precipue similis cui rex dedisset in feodum castrum unum bene munitum et armatum, de castro illomet impugnaret regem, dominum suum. Talis meretur perdere non solum castrum set et uitam et totum. Hoc ideo dixi quia nos omnes precipue fideles sumus feodarii Christi. Terram enim |85ra| nostram, id est corpus terrenum, et breuiter quicquid habemus et habere speramus, totum ab eo teneamus², prima Cor. IIII (7) : *quid habes quod non accepisti*. Modo non solum pro feudo quod iam possidemus set etiam pro illa [prebenda] quam in celis exspectamus, facimus sibi homagium in sacramento baptismi, in quo recognouimus eius dominium, abrenuntiendo dyabolo et pompis eius, et fidelitatem promisimus quia fidem eius professi sumus, diximus : « Credo et abrenuntio. » Quamdiu ergo dominium Christi recognoscimus et fidem non frangimus, non habemus timere quod ipse priuet nos celesti hereditate, quia Thobias (2, 18) dicit quod *daturus est eam hiis qui fidem suam numquam mutant ab eo* et ipsemet promittit. Apo. II (10) : *esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam uite*. Set qui fidem frangit uel dominum non recognoscit, meretur priuari feodo quem accepit. Cum ergo homo quicquid habet teneat ab eo, patet quod peccator non est dignus uita sua nec pane suo, precipue quia quilibet nostrum accipit ab eo castrum unum bene munitum et armatum, corpus animatum et organizatum uiribus et gratiis corporalibus et spiritualibus dotatum, et quicquid facit peccator, de castro illomet et armis pungnat contra eum. Primo enim ille qui gratiis uel armis corporalibus pulcritudine, fortitudine, iuuentute³ abutitur contra preceptum diuinum uiuendo luxuriose, talis de armis suis met pungnat contra eum. Legimus quod Dauid, uolens contra Goliam pugnare, noluit portare arma Saulis. Dauid, manu fortis, aspectu desiderabilis⁴, significat hominem dotatum corporalibus gratiis, pulcritudine, fortitudine⁵ et ceteris |85rb|. Saul interpretatur⁶ abutens. Volens ergo pugnare contra Goliam, id est dyabolum uincere, non debet portare arma Saulis, id est non debet abuti armis et gratiis a Deo sibi datis. Hoc enim non esset pugnare contra Goliam, id est dyabolum, set esset pugnare contra Christum. Item qualis⁷ armis, scilicet bonis fortune, abutitur negando eas⁸ proximo indigenti, talis contra Deum pungnat de armis que ab eo accepit. Ille fidem domino suo frangit, prima Thi. (5, 8) : *siquis suorum et maxime domesticorum fidem non habet, fidem negavit et est infideli deterior*. Item qui gratiis spiritualibus, sciencia et talibus abutitur uane gloriando de eis ac si a se haberet eas, dominium Christi non cognoscit, prima Cor. IIII (7) : *si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis*. Vis ergo non amittere feodum ? Non pungnes contra dominium domini

¹ feodo – quo] feoda pro qua *B.*

² teneamus] tenemus *B.*

³ pulcritudine – iuuentute] pulcritudinem, fortitudinem, iuuentutem *P.*

⁴ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 103.

⁵ pulcritudine, fortitudine] pulcritudinem, fortitudinem *P.*

⁶ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 72.

⁷ qualis] quicumque *B.*

⁸ eas] ea *B.*

tui, serua fidem et recognoscas dominium tui. Sic faciebat Apostolus (II Tim. 4, 7) : *bonum, inquit, certamen certauit cursum consumauit fidem seruauit* etc. Figura ad istam habemus, primo Mach. X (25 ; 27 ; 28) ubi rex Demetrius scribit sic : *rex Demetrius genti Iudeorum salutem. Perseuerate adhuc seruare ad nos fidem et retribuemus uobis donationes*, Judei confitentes. Gens ergo Judeorum est populus confitens fidem Christi et recognoscens eius dominium. Rex ergo Deus scribit genti Judeorum salutem quia rex noster Christus fideles suos scribit in libro uite dans eis salutem eternam ad Heb. X (9, 28) : *apparebit exspectantibus se in salutem eorum per fidem*. Istam salutem nobis concedat¹.

¹ concedat] qui sine add. B.

SERMON 31

Vingt-troisième dimanche après Pentecôte.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 85rb-86ra ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 49va-50ra.

F. 85rb : *Saluatorem exspectamus* etc. (Phil. 3, 20).

Aliter exspectat conuentus monachorum abbatem suum, aliter familia dominum. Conuentus enim, si abbas moram fecerit, exspectat eum in mensa, sine eius presencia sedet et comedet, ita quod illa die nec abbas |85va| cum conuentu nec conuentus comedit cum abbate. Set familia, si bona sit, sic exspectat dominum suum quod nullo modo ponit se ad mensam ante eius aduentum. Abacuc II (3) : *si moram fecerit exspecta eum.* Quamuis autem conuentus non exspectet abbatem ad refectorium, ad locum uel horam prandii et refectionis, exspectet tamen eum ad capitulum ubi est locus iudicii et punitionis. Capitulum enim non tenetur sine presencia abbatis uel uices eius gerentis. Hoc ideo dixi quia quilibet nostrum, quilibet fidelis exspectat adhuc secundum Christi aduentum, secunda canonica Pe. (3, 11-12) : *oportet uos esse in sanctis conuersationibus et pietatibus exspectantes et properantes in aduentum Domini nostri Jhesu Christi.* Ita exspectabat sanctus Job qui dicebat (14, 14) : *cunctis diebus quibus nunc milito exspecto.* Modo Christus quem uenturum exspectamus non solum est Dominus noster, set etiam est abbas noster. Ro. 9 (8, 15) : *accepistis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus abba Pater.* Ideo quidam exspectant sicut conuentus monachorum exspectant abbatem suum. Recte mali faciunt de Christo sicut monachi de abbatе suo, ponunt se ad mensam ante aduentum Christi, querunt refectionem et recreationem suam in uita presenti, exspectant eum comedendo, bibendo, in deliciis uiuendo, comedunt sine eo quia delectantur in creaturis Deo postposito. Ysa. LXV (11) : *uos qui dereliquistis Dominum, qui ponitis Fortune mensam ut libatis super eam.* Item comedunt sine eo quia soli comedunt bona sua Christo in pauperibus suis non inuitato ; de hoc reprehendet eos Christus in capitulo generali, in iudicio finali, quando dicet (Matth. 25, 42) : *esu|85vb|riui et non dedistis mihi manducare* etc. Credatis quod illi de cetero non comedent ad mensam abbatis. *Non potestis mense Dei participes esse et mense demoniorum,* prima Cor. (10, 21). Isti qui non exspectant abbatem ad prandium exspectant eum ad capitulum, quia canonici¹ in presenti uita non capitulant nec corrigunt se ipsos. Ideo Christus in iudicio finali durissime capitulabit eos. Ubi supra : *qui positis Fortune mensam* etc. Numerabo eos in gladio et corde corruentes (Is. 65, 12). Habeo ergo quod conuentus malignantium exspectat Christum sicut monachi abbatem suum, non ad mensam set ad capitulum, non ad refectionem set ad iudicium et condempnationem. Dicturi sunt mali in die iudicii (Lam. 2, 16) : *en ista est dies quam exspectabimus inuenimus uidimus. Fecit Dominus que cogitauerat, destruxit et non pepercit* (Thren. 2, 17). Set illi qui sunt de familia Christi exspectant eum ut Dominum, ad mensam, non ad capitulum. Ante enim eius aduentum non ponunt se

¹ canonici] canini P.

ad mensam, quia non querunt in uita presenti refectionem suam, in nulla re delectantur nisi in solo Deo uel si in alia tamen secundum eum et sub eo, non comedunt sine eo quia soli bona sua non manducant, set Christum in pauperibus suis inuitant. *Si comedam buccellam meam solus et non comedit pupillus¹*, ex ea, si pro non, Job XXXI (7). De hoc commendabit eos Christus in finali iudicio, dicens (Matth. 25, 35) : *esuriui et dedistis mihi manducare* etc. Illi qui non ponunt se ad mensam sine Christo comedent ad mensam Christi. *Ego, inquit, dispono uobis* etc. *ut edatis* [86ra] *et bibatis super mensam meam* etc. (Luc. 22, 29-30). Isti non exspectant eum ad capitulum quia capitulant et reprehendunt se ipsos. Ideo Christus in capitulo suo generali non condemnabit nec puniet set saluabit eos. Ysa. XXV (24, 1) : *ecce Dominus meus, iste non dicit abbas noster, et exspectabimus eum et saluabit nos* (Is. 25, 9). Vis euadere capitulum districti iudicis Dei ? Capitula te ipsum in uita presenti. *Si nosmet ipsos diiudicaremus* (I Cor. 11, 31), exspectantes eum non sicut conuentus abbatem set ut familia dominum, ad mensam, non ad capitulum. Ad hoc hortatur ipsemet in Luca (12, 35-36) : *sint lumbi uestri precincti* etc. *et uos similes hominibus exspectantibus dominum suum.* Ipse enim dicit Ysa. (49, 23) : *ecce Dominus noster non confundentur qui exspectant eum.* Sic exspectabit eum Apostolus qui dicebat in persona sui et sibi similium (Phil. 3, 20) : *Saluatorem exspectamus Dominum* etc. Exspectabimus, inquit, Saluatorem, non iudicem condemnatorem, non ad capitulum set ad bonum et pingue prandium, quia *Dominum Jhesum Christum* (Act. 11, 17), Christus unctus². In quibus uerbis ut supra tria notantur, residuum collationis fuit de duobus membris ultimis. Auctoritates supra exposite [sunt].

¹ *pupillus*] *pusillus* *B.*

² Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 142.

SERMON 32

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 86ra-88vb ; Bruges, Bibl. mun. 263, f. 33vb-36ra.

Plan :

Prothème – Dans la prière l’âme peut trouver sa nourriture et la chair son vêtement : Dieu donne la nourriture à ceux qui le craignent, la connaissance est l’habit de l’âme, les clercs doivent en être vêtus.

Division – Comparaison entre l’âme et le corps.

I – L’âme.

Division 2 (Can. 3, 3-4) : quatre choses sont nécessaires pour sauver son âme :

- a. l’efficacité de la surveillance
- b. le sentiment de manque
- c. la persévérance
- d. l’indéfectibilité du lien

II – Le corps et la nourriture.

Division 3 (Tob. 1, 12) : trois choses sont à noter au sujet de la pureté de l’âme :

- a. la surveillance
- b. le sens de la mesure
- c. la récompense de Dieu

III – La lutte entre le corps et l’esprit.

Division 4 (I Thess. 5, 23) : l’âme se protège du péché par trois moyens :

- a. tout doit être consacré à Dieu
- b. l’âme doit rester intacte
- c. il faut respecter les préceptes de Dieu

IV – La lumière divine.

F. 86ra : *Anima plus est quam esca et corpus plus quam uestimentum*, Mt. 6 (25).

[Prothème] Si quis petat a Deo quod sibi ex Dei ordinatione non competit, iuste redargui potest. Si autem sibi conuenit ex ordinatione diuina, tunc petere licet ei. Deus autem ordinavit minora ad maiora. Quantum magna sit anima apud Deum patet ex pretio quo eam redemit et qui eam sua morte uiuificauit [86rb], de uictu ei prouidit et etiam de uestitu, quia sermo Dei est eius cibus, ex quo etiam formatur honestus habitus qui relucet in corpore que duo quasi minora anima potest petere. In oratione ergo potest querere cibum ex quo reficitur et caro potest acquirere habitum quo perficitur.

Circa primum nota quod sicut calor naturalis consumit humidum radicale et sequitur mors animalis, nisi ei per alimentum subueniatur, sic inflammata concupiscentia humorem gratie consumit,

nisi sermonis cibus apponatur. Ideo recurrentum est ad eum qui *dat escam omni carni* (Ps. 135, 25) misericors et miserator. Dominus *escam dedit timentibus se* (Ps. 110, 5).

Circa secundum¹ nota quod indecens est quod quis omni die studeat in ueste facienda et frequenter audiat quomodo oportet eum esse uestitum, si sit uestitus uel male uestitus. Sciencia est habitus anime. In hac omni die studetis sermones, mores quibus uestes uirtutum docentur. Ergo debent clerici redargui si nudi sunt, non habentes habitum uirtuosum, precipue quia decet principem bene esse uestitum, omnes uolunt esse principales inter alios. Ergo faciunt quod quilibet possit dici illud Ysa. 3 (6) : *uestimentum tibi est princeps noster esto.* Set possum dicere illud quod sequitur (Is. 3, 7) : *in domo mea non est panis neque uestimentum.* Ideo recurramus ad archam in qua « est angelorum esca sanctus est nobis medicina », Leo² papa ; ubi Christus *habitu³ inuentus est et homo* (Phil. 2, 7) et dicamus : *Aue Maria.*

[Division] *Anima plus est* etc. *Verba sapientum statera ponderabuntur*, Ecc. 21 (Eccli. 21, 28). *Nos autem predicamus Christum Dei uirtutem et Dei sapientiam* |86va|, (I) Cor. I (23-24). Ergo eius uerba sunt sicut pondus statere est in statera : patet quid habet plus et quid minus. Sic ex uerbo eius patet : *quod anima plus est quam esca* etc. quod est necessarium in moribus, nam defectus qui in moribus contingunt ut in pluribus perueniunt ex defectu electionis. Defectus autem electionis est ex hoc quod bonum apparet quamdam quasi equalitatem habere uidetur ad bonum existens⁴, unde ex quo fiunt illi iniqui contractus in quibus anima dat se talibus et pro talibus. Ideo princeps Christus, ne deciperentur qui sunt de suo principatu, ostendit quid plus ualet, ut de cetero tales contractus non fiant ; nec est hoc nouum⁵. Prima mulier in hoc decepta est quod non librauit quantum *anima plus erat quam esca* quam accepit, pro qua suam et nostras animas obligauit. Item non comparauit corpus illud innocens, in quo nulla erat macula, ad illas tunicas pelliceas quas fecit ei Dominus, et ideo decepta fuit. Nos ergo ex alio casu sumus prudentes et non demus animas sicut ipsa. Omnia enim carnalia et temporalia, in quibus anima querit satietatem, esce eius dici possunt, que eam maculant si inordinate desiderentur. Unde⁶ Augustinus⁷ : « Sensibilia si memoriter retenta sunt non obsunt si non cupide appetantur uel turpiter fugiantur. Set cum anima in hiis auide uoluptatur, immunda fit. » De uestitu pro cuius curiositate interdum perditur uestis castitatis dicit Gregorius⁸ : « Si in preciositate uestis culpa non esset, numquam Deus Johannem de asperitate uestis commendasset. » Sicut Spiritus Sanctus apparet similitudinem columbe que nidificet et quiescit super |86vb| lapidem, sic corpus, quod est Spiritus Sancti templum, in asperitate esce letatur. Tanguntur quatuor : creatura que

¹ secundum] tertium P.

² Bernardus Clareuallensis, *Sententiae*, series 3, 119 (SBO, VI/2, p. 215).

³ *habitu*] *habitus* P, B.

⁴ *existens* om. B.

⁵ *nouum*] *bonum* exp. P.

⁶ *unde* om. B.

⁷ Augustinus Hipponensis, *De Trinitate*, XI, 5 (W. J. Mountain, SL 50, 1968, p. 343).

⁸ *Non inueni.*

numquam decedit, *anima*, et mensura que multum excedit, *plus est quam esca*, materia que in terram redit, *corpus*, paratura que ad cultum cedit, *uestimentum*. Nichil ualent tria ultima¹ quia si corpus sit ex anima, non datur sibi alimentum, non est nobilis forme stramentum nec ei prestatur ornamentum.

[I] Circa primum nota quod dicitur anima ab a, quod est sine, et mene, quod est defectus, quasi sine defectu. Video quod tanta est hominum sollicitudo circa corporalem uictum quod non cessant donec habeant pro toto tempore uite sue. Ymmo puto quod si putarent quod eis deficeret illud quod habent per dies quatuor ante mortem, non cessarent donec haberent unde supplerent, et anima misera que perpetua est que debet uiuere uel cum miseris et semper quasi mori, *mors depascet eos* (Ps. 48, 15), uel cum beatis, si mereatur, non sibi prouidet. Quare hoc ? Quia se odit, quia *qui diligit iniquitatem odit animam suam* (Ps. 10, 6) uel parum se amat ; nam cum amare sit bonum uelle, qui sibi uult bonum temporale, quod est bonum secundum quid, non amat animam nisi secundum quid. Jo. XII (25) : *qui amat animam suam perdet eam*. Parum profecit ille diues de quo Luc. XII (19) : *anima mea multa bona habes* etc. Qui animam non habebat ut suam quia sequitur : *animam tuam repetunt a te* quia eam eis obligasti, set illi qui ei acquirunt² bona eterna eam simpliciter diligunt. Unde Jo. XII (25) : *qui odit animam suam in hoc [87ra] mundo*, non querendo ei bona mundi, *in uitam eternam custodit eam*, sicut famelicus seruat famem suam ad melius ferculum quod quandoque ministratur in fine. Ad hoc etiam necessaria est cura uigilans angelorum et hominum et etiam ipsius anime. Unde Can. 3 (3-4) : *inuenierunt me uigiles qui custodiunt ciuitatem* : « *numquid quem diligit anima mea uidistis ?* » *Paululum cum pertransisset inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam*. Tanguntur quatuor necessaria ad hoc ut saluetur : uigilans custodum diligentia, *inuenierunt me uigiles qui custodiunt ciuitatem*, eiusdem anime scilicet requirens uel indigentia³, *numquid quem diligit anima mea uigiles usque ad inuentionem perseuerentia, paululum cum pertransi* etc., perfecta adherentia, *tenui eum nec dimittam*.

[a] Circa primum nota quod anima potest dici ciuitas quia in ea ad modum ciuitatis sunt uires appetue que nichil cognoscunt⁴ sicut layci, uires apprehensive pro clericis, intellectuales pro principe qui mittit uigiles, hoc est congregaciones⁵, ut errantes de nocte corrigant. Quotiescumque enim desideria sine luce congregationis diuine in aliquid tendunt quasi de nocte errant, quia uix fit hoc sine errore in moribus, occurrunt⁶ ergo uigiles cogitationes et resistunt⁷ ut de ratione sic uigilante possit responderi ad questionem Jeremie (1, 11) factam : *quid tu uides Jeremia : uirgam uigilantem ego uideo*, id est rationem ad correctionem intentam, set sequitur alia questio et respondet (Jer. 1, 12-13) : *ollam succensam ego uideo et facies eius a facie aquilonis, ab aquilone pandetur omne malum*. Olla

¹ ultima] siue primo add. *P* in marg. *a. m.*, add. *B*.

² acquirunt] acquiruntur *P*.

³ indigentia] diligentia exp. *B*.

⁴ cognoscunt om. *P*.

⁵ congregaciones] cogitationes *B*.

⁶ occurrunt] occurrant *P, B*.

⁷ resistunt] resistant *P, B*.

ista succensa est inflammata concupiscencia que tendit |87rb| ad aquilonem, id est ad regionem tenebrosam culpe, ex qua est omne malum. Ideo prima uisio necessaria est propter istam, set non solum indigent uigilia qui errant set etiam innocentes ne errent. Unde et pastores custodiebant uigilias noctis super innocentem grege, Luc. 2 (19, 3) : *et meruerunt uidere Jhesum natum sicut qui bene custodiunt alteritatem suam per uigiliam Resurrectionis.* Turpe est quod grex sensualitatis ducat pastorem. Unde anima in Can. (1, 6) : *indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie etc.*

[b] Circa secundum nota quod amor carnalis numquam petit uidentes quia tanta est turpitudo in facto suo quod uerecundatur uideri. Inde est quod nimia familiaritas parit contemptum in talibus quia tot sunt defectus et turpitudines quod quanto plus cognoscuntur, tanto plus reprobantur. Unde Amon qui pro sorore languebat, post eius cognitionem, turpiter eam reprobauit. Set sanctus amor petit et uult uideri quia periculum est in aqua ponere pedem ubi periclitantur homines cuiusmodi est carnalis uoluptas, set ubi saluantur securum est. Ideo anima sancta petit a uidentibus quia soli uidentes possunt ei satisfacere. Nam communiter affectiones anime maior sit amor requirit noticiam istam primam¹ que « plures rerum differentias nobis ostendit² ». Item ordo est congruus quia soli amatores ad uisionem Dei admittuntur. Jo. 14 (21) : *qui diligit me diligitur a Patre meo et manifestetur ei me ipsum.* Set quamuis Jacob dilexerit Rachel, |87va| tamen nocte supposita est ei Lya, uideamus ne interueniat nox culpe et perdamus contemplationem uisionis diuine.

[c] Circa tertiam partem nota quod uia ueniendi ad Christum est uita sanctorum qui accesserunt ad eum. Ideo oportet eos pertransire et sicut transeuntes regionem aliquam conformant se eis per quos transeunt, sic oportet nos eis conformari amore qui transformat. *Pertransibit pede ibi letabimur in ipso* (Ps. 65, 6). Set aliqui uolunt manere in termino a quo, scilicet in bono temporali, uolentes intrare uiam nec pertransire simul ad terminum, similes illis de tribus Gad et Rubem et Dindie tribui Manasse qui uidentes circa Jordanem loca alendis pecoribus oportuna, petierunt a Moyse, Num. 32 (1), quod inde meruerunt set non optimuerunt donec transirent cum fratribus ad locum ubi poterat Dominus inueniri. Sic fecerunt, postea redierunt. Sic qui uult bona ecclesiastica in quibus sunt pascua ministrorum ecclesie possidere, oportet quod transeat per angelos eorum uitam ymitando quibus talia bona data sunt et tunc poterunt licite possidere. Sic illud faciebat. Ps. (41, 5 ;7) : *recordatus sum et effudi animam meam quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Sequitur : *ad me ipsum anima mea turbata est propterea etc.* Facilis est transitus per aquam.

[d] Circa quartum³ nota quod non tenetur Christus per dignitates, quod patet quia quando Judei uoluerunt eum facere regem, *euanuit ab oculis eorum* (Luc. 24, 31), Jo. VI, set in Passione eum

¹ primam] preuiam B.

² Aristote, *Metaphysica*, I, 1.

³ quartum] tertium P.

tenuerunt. Sic anima afflita per penitentiam¹ tenet. Unde [87vb] Maria Magdalena et alie *accesserunt et tenerunt pedes eius*, Math. ultimo (28, 9). Facile est ipsum tenere quia uult teneri, et non committitur nisi homo uelit. Unde sicut Jacob fecit, sic et nos faciamus non dimitentes eum donec benedixerit nobis, unde anima super isto uerbo² : « quanto ardenter absentem quesui, tanto intensius inuentum tenui. » Unde Gregorius³ : « Magno desiderio estuabat qui nichil se habere reputat donec dilectum inueniat, teneamus ergo eum quem cum tantis laboribus querimus. » Unde⁴ Apo. (3, 11) : *tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam.*

[II] Circa secundum principale nota quod quando illud quod est sumnum in aliquo ordine datur pro quocumque illius ordinis, ymmo⁵ quod plus est datur pro eo quod minus est. Anima Christi in ordine omnium animarum summa est. Hanc dedit pro omnibus aliis ut ad modum esce incorporarentur corpori mistico ecclesie, et sic anima que plus est pro ista. *Delectam dedi⁶ animam meam* (Jer. 12, 7). Similiter corpus quod sumnum est inter humana corpora datum est pro aliis corporibus sanctorum que ad ornamentum sunt, sicut homines plures eiusdem uestis sunt ad ornatum principales a quo uestes habent. Ysa. 63 (50, 6) : *dedi corpus meum percussientibus*. Qui autem sedant ei recipiunt benedictionem ab ista anima, sicut Jacob qui cibum paratum a matre optulit Ysaac patri et benedixit ei anima patris primogenito benedictione priuato. Sic Ecclesia⁷ personas fideles ut incorporentur Christo facit quod benedictionem [88ra] optinent ab eo populo Judeorum quasi primogenito reprobato. Item nota quod utinam seruarent homines ita dignitatem spiritualem sicut corporalem, ut sicut homines in dignitate constituti non dignantur agere uel tangere uilia, sic nec isti, set totum contrarium est cum tamen ex solo contactu affectus immunditia contrahatur. Unde Petrus prohibit (I Pe. 2, 11) : *obsecro uos abstinere a carnalibus desideriis* etc. Ubi nota quod quamuis militent carnalia, tamen sola abstinentia sufficit ex parte anime quia caro infirma est. Unde Deus prohibuit populo ne tangeret morticina nec comedere⁸ consecrata. Ydolis carnibus autem qui seruit, seruit dyabolo, propter quod uir sanctus Tobias ab hiis abstinuit. Tob. I (12-13) : *iste custodiuit animam suam et numquam contaminatus est in escis eorum, et quoniam memor fuit Dei in toto corde suo dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanassar*. Tria tanguntur circa mundiciam anime istius, primo usus est militis officio, *custodiuit animam*, scilicet cauet sibi a uitio, *numquam contaminatus est in escis eorum*, potitus est Dei beneficio, *dedit illi Deus gratiam*.

[a] Circa primum nota quod tempore obsidionis castrum debile, ubi est res preciosa debet diligenter custodiri. Corpus nostrum castrum debile : obsessi sumus ex omni parte a mundo, carne et

¹ penitentiam] penitentiatorem *B.*

² Non inueni.

³ Non inueni.

⁴ unde *om. B.*

⁵ ymmo *om. B.*

⁶ *delectam dedi*] *dedi dilectam B.*

⁷ Ecclesia] anima *P.*

⁸ *comedederet*] *comedere P.*

dyabolo. Ergo claudatur dyabolo et aperiatur Christo, nec est timendum quin salus intret quia hoc est proprium Christi intrare ianuis clausis. Set quia hoc est difficile, tamen non est impossibile, dum tamen consensus sit clausus. Ideo Deut. VI (4, 9) : *custodi temetipsum et animam tuam* |88rb| *sollicite*.

[b] Circa secundum nota quod omnes sensus nostri refectionem querunt in sensibilibus set auide in tantum quod dicitur, Ecc. (Eccli. 1, 8) : *non saturatur oculus uisu nec auris auditu impletur*. Set ratio totum superfluum rescindere debet, alioquin contaminatur, sicut ex cibo materiali sumens auide maculatur. Non enim est sensus aliquis qui suam non habeat continentiam uel castitatem. Ideo ratio mensuram ponat ut tota satietas sit humana et continentia appareat. Ecc. (Eccli. 26, 20) : *non est ponderatio continentis anime*, sicut enim Judith cibo suo contenta abscidit caput Holofernis quia dum superfluitatem abscindimus, caput iniquitatis, scilicet dyabolum, amputamus.

[c] Circa tertiam partem nota quod magna est Dei misericordia qui, dum rescindimus superflua que rescindere tenemur, dat nobis gratie dona. Set nota quod illa gratia fuit libertas. Non est liber qui seruit seruis, sic qui suis sensibus. Set multi faciunt de libertate seruitutem, sicut illi quibus loquitur Petrus (I Pe. 2, 16) : *quasi liberi et non quasi uelamen habentes malitie libertatem*. Libertas est eis uelamen malitie, dum putantes posse latere culpam suam propter libertatem, audaces sunt ad peccandum. Talis non est libertas Dei quam petit Ps. (114, 4-5) : *Domine libera animam meam misericors Dominus et iustus*.

[III] Circa tertium principale nota quod secundum Augustinum¹ Deus adeo bonus est quod non sineret mala fieri nisi ex eis eliceret bona ; ex corruptione autem mortis hoc elicit bonum quod, dum homo cogitat que² terra est et [quod] in terram ibit, non ita lasciat caro eius, et sic ex morte |88va| cogitata mortem fugat et sicut puer dissolutus per comminationem pene pacem habet. Sic contentio inter carnem et spiritum sedatur et hoc Deo actore. (I) Thess. (5, 23) : *ipse autem Deus pacis sanctificet uos per omnia et integer spiritus uester et anima et corpus in aduentu Domini nostri Ihesu Christi seruetur*. Tria tanguntur hic quibus anima cauet sibi a culpa si Deo omnia dedicentur, si omnia sunt integra et nulle partes, tunc non erunt culpe que in aduentu iudicis dampnabiliter iudicentur.

[a] Circa primum nota quod Deus eius est actus quod solus facit. Cum autem inter Deum et hominem non sit pax nisi culpa tollatur, quam solus ille tollit, manifestum est quod ipse est *Deus pacis pater futuri seculi* etc., Ysa. IX (6). Hec pax facit sanctitatem nam Deus eos sanctificat qui quiescant in eo, cuius signum est quia diem quietis sanctificauit. Hoc fit per Spiritum Sanctum, qui cum sit amor, pacem istam facit. *In animas sanctas se transtulit amicos Dei et prophetas constituit*, Sap. (7, 27). Ab omnibus etiam liberat quia res Deo dedicate sunt libere.

[b] Circa secundum nota quod sicut pomum non potest seruari diu nisi sit integrum, sic nec sanctitas nostra, quia ueniale non attingit, mortale autem totum tollit. *Sitis ergo perfecti et integri in nullo deficientes*, Ja. primo (4). Anima autem integra est quando tota uita est secundum animam,

¹ *Non inveni*.

² que] quid P.

corpus integrum quando totum mouetur secundum spiritum uel secundum instrumentum Spiritus Sancti et anime rationalis, quod fit maxime per timorem Dei. Ideo Mt. (Luc. 12, 5) : *timete eum qui postquam occiderit animam habet potestatem mittere in Gehennam.*

[c] Circa tertiam partem nota quod omnia que non |88vb| ordinantur ab homine in Deum, querelam possunt deponere coram Deo de eo, nam priuat ea maiore perfectione et quia mediante homine in Deum ordinantur, cum sint facta propter eum et ipse sit malus, non ordinetur in Deum. Ideo sunt in malum ipsius. Unde Augustinus¹ : « Nichil est homini bono siue se ipso bono. » Unde alia cedunt sibi in malum set iusti omnia ordinant in Deum sicut de parentibus Johannis Baptiste dicitur Luc. I (6) : *incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela.*

[IV] Circa quartum principale nota quod parantur ministri secundum exigentiam. Ille autem cui omni die seruimus est lux. Ideo lumine conuersationis honeste debemus esse parati. Ps. (103, 1-2) : *benedic, anima mea, Domino ! Domine Deus meus magnificatus es uehementer confessionem et decorem induisti amictus lumine sicut uestimento.*

¹ Non inueni.

SERMON 33

In synodo.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 88vb-91rb.

Plan :

Thème – Le rôle de l’œil et du pied dans le déplacement du corps humain. Comparaison avec l’affect et l’intellect.

Division – L’amour de Dieu doit primer sur l’amour du monde. De même l’œil de la raison doit avoir le dessus sur l’affect.

I – L’œil règle le rythme du pied.

Division 2 (Marc 13, 33) : l’œil doit rendre service au pied :

a. la raison doit rester immaculée

b. veiller sur les autres

prier pour maintenir la vie

F. 88vb : *Videte quomodo caute ambuletis*, Eph. 6 (5, 15).

[Thème] Hec duo organa, pes et oculus in uno corpore naturali, indigent se inuicem et seruiunt sibi mutuo quia oculus necessarius est pedi et pes est necessarius oculo. Set uerum est quod pes non potest bene seruire oculo nisi oculus seruiat sibi primo. Ista patent : primo quidem oculus non potest sufficere ut tot differentias rerum ostendat, ut distantia a se uideat sine pede ambulante et ipsum ad loca uaria et distantia differente. Secundo pes non potest bene incedere quin cito offendat sine oculo dirigente. Propter hoc dicitur in Jo. (11, 9) : *si quis ambulat in die non offendit* quia lucem huius mundi uidet, ideo non offendit quia uisus pedem dirigit. Hec ergo duo pes et oculus seruiunt sibi mutuo, [89ra] set pes non potest bene seruire oculo nisi oculus seruiat sibi primo, quia quando pes et oculum deportat, oculo pedem non dirigente, pes inueniens offendiculum precipitat oculum, ymmo totum hominem ad lucem proicit. Propter hoc docet Sap., Prou. 4 (25-26) quod pes taliter seruiat oculo quod tamen oculus seruiat sibi primo : *oculi tui recta uideant et palpebre tue precedant gressus tuos. Dirige semitam pedibus tuis et omnes uie tue stabilientur.* Hoc ideo dixi quia sicut noster homo exterior habet duplex organum, scilicet pedem et oculum, sic homo interior habet oculum intellectus et pedem affectus. Unde Augustinus¹ : « Pes meus, amor meus, eo feror quocumque feror. » Hec duo sic sunt sibi necessaria mutuo quod oculus indiget pede ambulante, pes tamen prius indiget oculo regulante. Primo quidem oculus intellectus non posset differentias rerum ostendere tot successiue et intelligere sine pede affectus, ipsum mouente et de uno intelligibili in aliud transferente. Iterum oculus intellectus non posset attingere obiectum distantissimum, Deum uidelicet, cuius « uisio est tota

¹ Cf. *Manipulus flororum*, Amor H (Augustinus libro 13 Confessionum) ; Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII*, XIII, 9 (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 246).

merces¹ » sine pede affectus illuc ambulante in Deum per dilectionem tendentem. Eph. V (2) : *ambulate in dilectione* etc. Set heu quia multos uideo in quibus oculus optime seruit pedi set non pes oculo, qui sunt maxime sciencie quantum ad intellectum, pes sine sciencie et multe malitie quantum ad affectum. Sunt enim aliqui ualde oculati et intelligentes in quibus oculus optime seruit pedi. Dictat ratio quid prosequendum, quid fugiendum. Oculus intellectus optime regulat quantum in se est pedes affectionis, dictat pedem |89rb| dextrum, id est amorem Dei esse preponendum, sinistrum esse postponendum, scilicet amorem sui uel mundi, sicut facit equus ambulans ; et tamen econtrario pes non seruit oculo nisi ambulat in amore Dei set manet immobilis in amore mundi, fortiter firmatus in malicia. *Non enim qui operantur iniquitatem, in uis eius ambulant*, Ps. (118, 3), uel forte detenus pigritia quare pedes eorum *ad ambulandum*, Sap. 19 (15, 15). Patet ergo quod oculus indiget pede ambulante, set iterum pes primo indiget oculo dirigente. Pes enim affectus cito offendit et precipitat hominem in luto peccati nisi dirigatur oculo et iudicio recte rationis. Ista est causa quare in multis offendimus omnes qui mouemur et ducimur pede affectionis si non regimur oculo rationis. Sequimur passionem et affectionem, non rationem. Pes autem precipitat oculum quando affectio peruerit iudicium. Petit iudicium duplíciter cum res transit in affectum et sic homo cadit in peccati lutum. Ecc. 13 (Eccli. 13, 16) : *caue etiam et attende diligenter quoniam cum subuersione tua ambulas*, ita certe quando mouetur pes affectus et non regitur oculo intellectus. Propter hoc Apostolus in uerbis propositis consultit quod pes sic seruat oculo, quod tamen oculus seruiat pedi primo. *Videte inquit quomodo caute ambuletis*. Figura ad omnia ista partim in Ezechiele, partim in Apocalypsi Johannis. Apoc. (4, 6) : *uidit animalia plena oculis ante et retro*. De illis animalibus dicitur Ezechiel (1, 7) quod *pedes eorum erant pedes recti* et unumquodque contra faciem suam ambulabat. In hoc differt equus ambulans ab equo tractante quia equus ambulans mouet pedes |89va| ordinate preponens semper pedem dextrum et postponens sinistrum. Ergo *animalia plena oculis ante et retro* (Apoc. 4, 6) ambulant et *pedes eorum erant pedes recti* (Eze. 1, 7). Hoc figuratue designat quod quando oculus rationis respicit ante et retro et regulat, sic pedes affectus, quod semper preponit pedem dextrum, id est amorem Dei, retro ponit sinistrum id est amorem sui et mundi, tunc homo recte ambulat et non offendit. Potest dicere qui sic ambulat et ordinat pedes affectionum suarum illud Ecc. (Eccli. 51, 20) : *ambulauit pes meus iter rectum*.

[Division] Ad hoc faciendum mouet nos Apostolus quando dicit : *uidete quomodo caute ambuletis*, hoc est dictum : cauete quod oculus rationis sic ordinat et dirigat pedes affectionis, quod semper preponatur pes dexter, id est amor Dei, et postponatur sinister, id est amor mundi. *Videte ergo* etc. Ubi tria mouet, primo quod oculus pedem totaliter debite regulet, *uidete*, secundo quod pes oculum totaliter baiulet, *quomodo caute ambuletis*, tertio nec finaliter uterque erret ibi, *caute ambuletis* ne scilicet offendatis.

¹ Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalmos*, ps. 90, sermo 1, cap. 13 (E. Dekkers, J. Fraipont, SL 39, 1956, p. 1277).

[I] Mouet ergo primo quod oculus debite regulet ibi, *uidete*. Ubi nota quod quamuis, ut dictum est, pes et oculus in corpore naturali seruant sibi mutuo, pes tamen numquam bene seruit oculo nisi oculus seruit sibi primo ; ymmo plus, natura magis uidetur formasse oculum ut seruiat pedi quam ut seruiat sibi ipsi : potest enim uidere pedem set non se nisi per speculum. Sicut est in corpore naturali, sic est suo modo in corpore mistico de quo dicit |89vb| Apostolus (Rom. 12, 5) : *multi unum corpus sumus in Christo*. Corpus enim mysticum habet pedes et oculos, oculi ecclesiastici situati in loco uel in parte superiori sunt clerici precipue et gradu dignitatis aliquo constituti, pedes inferius situati sunt layci cure clericorum subiecti, ut sic figuretur corpus mysticum per totum corpus ecclesiasticum¹ quod est plenum oculis in circuitu. Corpus plenum oculis est ecclesia plena clericis, uiris ecclesiasticis. Sicut ergo ordine nature institute oculus deseruit pedi et econtrario, sic ex ordine caritatis et institutione ecclesie clerici debent seruire laycis, ministrando eis spiritualia, dirigendo eos ad modum oculi, uerbo doctrine et exemplo conuersationis honeste. Econtrario layci debent seruire clericis, ministrando temporalia et more pedum eos substantando, set certe pedes non tenentur seruire oculis nisi oculi primo seruant eis. Ecclesia enim magis formauit oculos, magis ordinauit et instituit uiros ecclesiasticos propter subditos quam propter se ipsos, qua ergo temeritate audent oculi recipere seruitum pedum curati et alii recipere beneficium ecclesiasticum, qui numquam pedibus seruiunt, numquam uel raro ecclesie sue deseruiunt. Isti sunt filii Hely *filii Belial nescientes officium sacerdotis ad populum*, primo Reg. (2, 12-13), set bene sciebant officium populi ad sacerdotem pedum et oculos, set non econtrario. Ulterius nota quod quamdui oculi bene seruiunt pedibus, et pedes optime seruerunt et ambulauerunt, id est subditi optime se habuerunt, set quia oculi defecerunt, Ps. (118, 123) : *oculi |90ra| mei defecerunt*, Deut. 24 (28, 65) : *dabit tibi Dominus cor pauidum et deficientes oculos*, ideo pedes subditi male ambulabant et deuiant. *Grex desperitus factus est populus meus sacerdotes eorum seduxerunt eos*, (Jer. 50, 6). In figura huius dicitur Hesdre primo (Eze. 1, 19 ; 21) : de corpore illo rotarum plene oculis quod *cum ambularent animalia, ambulabant pariter et rote, cum euntibus ibant et cum stantibus stabant*. Recte qui subsunt currui sunt layci qui sunt cure clericorum subiecti, animalia trahenda currum sunt clerici habentes curam animarum. Tunc expone figuram et addas quod defectus pedum melius potest suppleri et remediari quam defectus oculorum. Defectus enim pedis carni potest suppleri per pedem ligneum, per baculum qui gallice potentia uocatur. Set defectus oculi carni per oculum ligneum suppleri non potest. Sic spiritualiter si pedes, id est subditi, deficiunt, defectus eorum corrigi potest et remediari per baculum correctionis, per potentiam superioris. *Virga tua et baculus tuus ipsa me etc.*, (Ps. 22, 4). Set defectus superiorum per baculum correctionis non potest remediari. Propter hoc dicit [Gregorius]² : « Nemo amplius in ecclesia nocet

¹ ecclesiasticum] mysticum P.

² *Manipulus florū*, Exemplum O et Sacerdos A (Gregorius in Pastoralī) ; Gregorius Magnus, *Regula pastoralis*, I, 2 (B. Judic et al., SChr 381, 1992, p. 134).

quam qui¹ peruerse agentem nomen et ordinem sacerdotis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nemo presumat et in exemplum² culpa attenditur tamen pro reuerentia ordinis predictor³ honoratur. » Patet ergo quod oculi debent seruire pedibus primo. Et in ueritate quamdiu oculi debitum suum fecerunt, pedes oculis optime seruierunt in primitua ecclesia, quia oculi, uiri [90rb] ecclesiastici, erant uigiles et attenti circa curam gregis dominici. Ps. (76, 5) : *anticipauerunt uigilias oculi mei*, quia pedes, id est subditos, dirigeabant uerbo doctrine et exemplo uite. Pascebat eos insuper si erat necessarie. *Oculi eius in pauperem respiciunt*, Ps. (9, 30). Ideo uersa uice pedes optime seruiebant eis, habebant in reuerentia, multa et maxima donaria fiebant, Eccles. secundo (Eccle. 2, 10) : *omnia que desiderauerunt oculi mei non negauit eis*. Modo est totum econtrario. Layci reputant perditum quicquid habent clerici. Tot fiunt modo tallie, tot soluuntur decime, tot exactiones uane fiunt super uiros ecclesiasticos quod cum maximis redditibus uix possunt aliqui uiuere. Timeo ne ecclesia finaliter depaupertata possit dicere cum Psalmo (87, 10) : *oculi mei languerunt pre inopia*. Et credo quod merito, quia oculi debent seruire pedibus, quod innuit Dominus. Mt. 13 (Marc. 13, 33) ubi dicit : *uidete uigilate et orate. Videte*, inquam, uos ipsos ne sit in oculo mentali macula ; *uigilate* super subditos cum sitis populo totali specula, ponitur in castro ut uigilet ; *orate* pro inuicem nec desit circulo uitalis copula. Illud exponetur postea.

[a] Circa primum, nota quod sicut oculus carens speculo non uidet maculam in se ipso, non est mirabile, set quod oculus uideat speculum et non uideat se ipsum, hoc quasi per naturam est impossibile. Verum est tamen quod quia in speculo preter ymaginem uel faciem ymaginantis uel speculantis remittent quandoque ymagines curiose, ut puto picture parietis [90va] oppositi, inde est quod oculus ueniens ad speculum ut uideat se ipsum, adeo est acceptus circa ymagines alias speculi quod de macula sua non aduertit et se ipsum negligit. Spiritualiter sic oculi ecclesie sunt clerici et possum dicere quod specula clericorum sunt libri Sacre Scripture⁴ et dicta et exempla sanctorum. Ita dicit Gregorius⁵, secundo Moralium : « Scriptura sacra oculis mentis uelut speculum quoddam opponitur, ut ibi nostra interna facies uideatur. Ibi enim feda pulcraque nostra conspicimus, ibi sentimus quantum proficimus, quantum ne a profectu distamus. » Utinam multi oculi, multi clerici ita libenter [conspiciunt] specula librorum sicut speculum factum est labium de speculis mulierum, in quo intuebantur se ipsos sacerdotes ingressuri templum. Hodie tamen non in ingressu set intra templum sunt specula mulierum, infra templum est hodie factum meretricum. Item est regula generalis hodie quod in ciuitatibus in quibus est hodie maior clerus, ibi est maior meretricum numerus. Hoc deplorat Dominus per Jeremiam : *clericus mater meus*, id est *oculus depredatus est animam meam in cunctis filiabus urbis mee* (Lam. 3, 51). Ista non debent esse specula clericorum set potius libri

¹ quam qui] quamquam P.

² in exemplum] immensum P.

³ predictor] peccator P.

⁴ Scripture] scriptorum P.

⁵ *Manipulus florum*, Scriptura sacra AI (Gregorius 2. libro Moralium capitulo 2) ; Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, II, 1, 1 (M. Adriaen, SL 143, 1979, p. 59).

sanctorum. Si ergo layci qui specula non habent, qui libros et Scripturam ignorant, non uident se ipsos, non cognoscunt scilicet maculas peccatorum suorum et defectus suos, non est mirabile, set quod clerici qui ut specula corporalia se habent, libros conscientie uident et student, non cognoscunt se ipsos, execrable est. Dicit Hugo¹ libro primo de anima : « Melior es si te |90vb| ipsum cognoscas quam si te neclecto, cursus syderum, uires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium celestium hominumque et terrestrium scienciam haberet. Multi multa sciunt et se ipsos nesciunt. » Certe causa est una quod hodie in speculis nostris, id est in libris theologicis, reluent alie ymagines curiose, subtilitates et curiositates philosophice, circa quas attenti de macula faciei anime non cogitamus, salutem anime negligimus, Colo. 2 (8) : *uidete ne quis uos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.* Pro Deo quid ualet ad tergendum et uidendum maculam animarum ? Scire utrum forma intensa et remissa sint, unum numero et multa alia magis curiosa, circa que nos occupamus et studium nostrum perdimus. Ideo uidete uosmet ipsos nec perdatis quod operati estis. Hugo² libro tertio de anima f : « Frustra cordis oculos erigit ad Deum uidendum qui nondum est ydoneus ad uidendum seipsum. Prius enim est ut cognoscas inuisibilia spiritus tui quam possis esse ydoneus ad cognoscenda inuisibilia Dei, et si non potes cognoscere te, non presumas apprehendere ea que sunt supra te. Principium et principale speculum est ad uidendum Deum animus rationalis inueniens seipsum. » Unde ergo dictum est : *uidete uosmet ipsos ne sit in oculo mentali macula.* Heb. 3 (12) : *uidete fratres ne sit in aliquo uestrum cor malum.*

[b] Dicit secundo *uigilate* super subditos cum sitis populo totali specula. Natura gruis est ista quod grues uolentes dormire etc. |91ra| sicut in sermone³ *Qui custos est Domini* ; tunc applica. Sicut natura sagax etc. ut ibi concordantia secundo Hesdre 9 (8, 29) : *uigilate et custodite.* Apoc. secundo (3, 2) : *esto uigilans et confirma cetera que moritura sunt sic erant.* Sequitur (3, 3) : *si non uigilaueris, ueniam ad te tamquam fur* etc. Tunc reducas quomodo olim *erant pastores uigilantes et custodientes uigilias* (Luc. 2, 8) etc. Set heu uerificatum est hodie quod dicitur in Prou. 9 (23, 33-34) : *oculi tui, id est clerici, uidebunt extraneas et cor loquuntur peruersa et erat quasi dormiens in medio mari et quasi sopitus gubernator auulso clauo.* Nota quare dicitur extraneas ut habes in sermone predicto. Nota totum et conclude illud, primo Thy. (I Thess. 5, 6) : *non dormiamus sicut etiam ceteri set uigilemus et sobrii sumus* ; et alibi (I Pe. 5, 8) : *fratres sobrii estote et uigilate.* Alibi (II Tim. 4, 5) : *tu uero uigila, in omnibus labora, opus fac euangeliste* etc.

[c] De tertio nota quod membra uiuentia et copulata inuicem in uno corpore naturali quasi quodam circulo uiuant se mutuo, unum quod seruit alteri et econtrario et bonum unum redundat in bonum alterius, unum etiam seruiendo alteri seruit quodammodo sibi ipsi. Non sic de membro morbido uel a corpore separato. Deficiente enim uita uel copula, deficit circulatis ista. Sic spiritualiter

¹ *Manipulus flororum*, Consideratio sui AF (Hugo libro 1 de anima capitulo 9).

² *Manipulus flororum*, Consideratio AD (Hugo libro 3 de anima capitulo 6).

³ Sermon 63.

in corpore mistico membra uiuentia uita gratie et copulata uinculo caritatis iuant se mutuo suffragio deuote orationis, et unus orando pro alio meretur sibi ipsi ita quod est in quodam circulo, unde Ps. (34, 13) : *oratio mea in sinu meo conuertetur*. Unde Gregorius¹ : « Quisquis |91rb| pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex caritate suffragatur ; et pro semet ipso tanto citius exaudire meretur, quanto deuote pro aliis intercedat. » Et est ratio. Nuntius missus ad papam ex parte uniuersitatis agendo fideliter negotia uniuersitatis, citius impetrat gratiam pro semet ipso quam si ad curiam iuisset pro negotio proprio. Oratio est quidam nuntius hominis ad Deum. Unde Augustinus² : « Orationis pure magna est uirtus et uelut fidelis nuntius mandatum peragit et penetrat quo caro non peruenit. » Ille ergo portat nuntium uniuersitatis uel communitatis qui non solum pro se, uerum etiam pro aliis intercedit. Iste citius impetrat gratiam a Christo quam si oraret pro se solo. Crisostomus³ super Mt. : « Pro se orare cogit neccessitas, pro aliis autem caritas fraternitatis commendat. » Ergo iuxta consilium beati Jac. primo (5, 16) : *orate pro inuicem ut saluemini*. Quam salutem uobis confert.

¹ *Manipulus flororum*, Oratio AK (Gregorius libro 15 Moralium) ; Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, XXXV, 10-11 (M. Adriaen, SL 143B, 1980, p. 1787).

² *Manipulus flororum*, Oratio S (Augustinus super Psalmum 65).

³ *Manipulus flororum*, Oratio AZ (Crisostomus super Mattheum).

SERMON 34

In synodo.

Ms. : Paris, BnF, lat. 16495 f. 91rb-94ra.

Plan :

Thème – Les pieds de l’homme ne sont pas sûrs, ils se heurtent à des obstacles.

Division – L’homme doit donc s’efforcer de surveiller sa marche plutôt que de contempler le ciel.

I – Il faut scruter le miroir pour y découvrir l’âme et non seulement le visage.

II – L’affect doit être contrôlé par l’esprit.

III – Il faut éviter les obstacles.

F. 91rb : *Videte quomodo caute ambuletis* (Eph. 5, 15).

[Thème] Ubi supra. Habenti pedes passibiles et multum debiles incedenti per uiam in qua sunt offendicula multa et multi lapides, ne forte offendant ad¹ lapidem pedem suum, expendit magis ut habeant suum oculum dimissum ad yma et ad pedes suos regendos ad iter et gressus suos dirigendum quam sursum erectum ad sydera contemplanda. Ita docet Sap. in Prou. (4, 25-26) : *oculi tui recta uideant et palpebre tue precedant gressus tuos, dirige semitam pedibus tuis et uie tue stabilientur.* Hoc ideo dixi quia oculus mentis interioris est² intellectus, pes affectus [91va]. « Pes meus, amor meus, eo feror quocumque feror. »³ Unde mihi uidetur quod omnes nos, dum sumus in uia, habemus pedes ualde passibiles. Unde Sap. (15, 15) : *pedes eorum pigri ad ambulandum.* Et iterum in uia qua ambulamus sunt infinita offendicula et multi lapides.

Declaro utrumque et primum sic. Pes ille qui indifferenter obuians quibuscumque duris et mollibus, asperis et leuibus, statim incipit claudicare ; qui ita lederetur mollibus sicut duris, leuibus sicut asperis, reputaretur et merito ualde passibilis. Talis est pes interioris hominis. Animus enim noster sicut frangitur in asperis per impatientiam, ita in prosperis leditur per contumaciam et superbiam ; hec debilitas pedum figurata fuit 2^o Reg. (9, 3) ubi dicitur quod Miphiboseth *erat debilis pedibus*, ad litteram claudus utroque pede. Causa fuit quia cum a Natuitate non fuisset claudus set rectus, contigit semel quod nutrix eum portaret, quod cecidit et claudus effectus est. Miphiboseth⁴ interpretatur os ignorantie uel os confusionis, significat genus humanum expositum ignominie et confusionis, per os, gulam primorum parentum. Je. (2, 26) : *quomodo confunditur fur quando reprehenditur sic confusi sunt* etc. Hic a Natuitate fuit rectus. Homo fuit originali iustitia creatus. Fecit Deus hominem rectum, set postquam cecidit semel in peccatum, incurrit tantam debilitatem

¹ ad] a P.

² est] sit P.

³ Cf. *Manipulus flororum*, Amor H (Augustinus libro 13 Confessionum) ; Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII*, XIII, 9 (L. Verheijen, SL 27, 1981, p. 246).

⁴ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, p. 108.

pedum quod, quicquid obuiet uel durum uel leue uel asperum, quicquid accidat prosperum uel aduersum, statim claudicat utroque pede, |91vb| pede quidem superbie in prosperis, pede uero impatientie in aduersis. Ps. (35, 12) : *non ueniat mihi pes superbie, quoad primum, et manus peccatoris non moueat me*, supple ad iram et impatientiam quoad secundum. Hanc debilitatem pedum habent uiatores set in patria pedes¹ sanctorum erunt impassibiles et impetibiles². Ysa. (40, 31) : *qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem*. Sequitur : *current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.*

Secundo dixi quod in uia hac qua ambulamus sunt multa offendicula et multi lapides. Hoc patet sic : lapis dicitur quasi ledens pedem anime, id est affectum. Nichil ledit nisi solum peccatum. Prou. (8, 36) : *qui peccauerit in me ledet animam suam*. Peccata ergo lapides sunt, offendiculum lapidis offensa peccati, hic est lapis offensionis et petra scandali. Figurantur lapides isti in Leuitico (14, 40-42) ubi dicitur quod quando apparebit plaga lepre in edibus, *sacerdos iubebit erui lapides in quibus lepra est. Domum autem ipsam radi intrinsecus lapidesque alios reponi pro hiis qui ablati sunt et fuerant*. In mundo sunt duo genera lapidum, quidam ponderosi, alii pretiosi. Lapis ponderosus peccatum est, lapis quidem quia ledet pedem affectus, set ponderosus propter duo. Primo quia secundum Augustinum³ peccatum quod per penitentiam non deletur mox suo pondere ad aliud trahit. Secundo quia suo pondere mergit hominem in profundum inferni. *Descendunt in profundum quasi lapis* (Ex. 15, 5). Lapis pretiosus et medicinalis penitentia est que, quamvis corpus ledat, pedem tamen |92ra| anime non ledit, ymmo medetur et curat. Unde Augustinus⁴ : « Penitentia langores sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam conseruat. » Iste ergo debet esse processus quando in domibus conscienciarum nostrarum appetit plaga lepre, id est mortalis culpe. Domus conscientie debet radi intrinsecus per contritionem cordis. Deinde lapides in quibus lepra est, id est peccatum, debet dirui et eici per confessionem oris. Tertio iussu sacerdotis lapides alii debent poni si curatur lepra peccati. Si peccata lapides sunt sicut quot sunt occasiones peccatorum, tot sunt in uia offendicula lapidum. Totus mundus plenus est talibus et tunc uia complantata est lapidibus.

[Division] Sic habeo declaratum utrumque, primo quod pedes nostri, dum sumus in uia, sunt ualde debiles, secundo quod in uia ista sunt multa offendicula et multi lapides. Ex quibus concludo quod cuilibet uiatori, ne offendat ad lapidem pedem suum, id est ne offendat Deum per aliquid mortale peccatum, expedit magis quod habeat oculum dimissum ad yma ad pedes suos regendos, ad humiliter defectus suos cognoscendos, quam sursum erectum ad sydera contemplanda. Ita dicit Hugo⁵ in libro suo de anima : « Melior es si te ipsum cognoscas quam si te neglecto cursus syderum, uires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, scienciam celestium haberet. Multi multa

¹ pedes] pedens P.

² impetibiles] impetabiles P.

³ Gregorius Magnus, *Homiliae in Hiezechiem prophetam*, I, 11, 24 (M. Adriaen, SL 142, 1971, p. 179).

⁴ *Manipulus flororum*, Penitentia K (Augustinus libro de penitentia).

⁵ *Manipulus flororum*, Consideratio sui AF (Hugo libro 1 de anima capitulo 9).

sciunt et se ipsos nesciunt cum tamen summa philosophia sit cognitio sui. » Ideo dicitur in Mt. (Marc. 13, 9) : *uidete uosmet ipsos*. Hoc est quod Apostolus consulit quando |92rb| dicit : *uidete quomodo caute ambuletis*. Ubi tria dicit : primo ut figatur mentis aspectus in specula contemplationis, *uidete* ; secundo ut dignitatis pes affectus a regula recte rationis, *quomodo ambuletis* ; tertio ne labatur in defectus per offendicula subuersionis ibi, *caute ambuletis*.

[I] De primo nota quod frustra accedit ad speculum ubi¹ non figit oculum. Principalis intentio accendentis ad speculum non est sistere in speculi uisione, set est uidere pulcritudinem et turpitudinem uultus sui. Spiritualiter speculum contemplationis est studium sacre lectionis. Unde Gregorius² : « Scriptura sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur ut ibi nostra interna facies uideatur, ibi enim feda nostra pulcra que nostra conspicimus, ibi sentimus quam proficimus quam ne a profectu distamus. » Set speculum contemplationis et studium lectionis scolaris ueniens ad studium accedit ad speculum. Quomodo frustra uenit ad studium nisi habeat oculum actentum ad librum ! Jeronimus³ ad Demetriadem uirginem : « Sint diuine scripture semper in manibus et iugiter mente uoluantur ; nichil sufficere tibi putas mandata Dei memoria tenere et operibus obliuisci. Set ideo illa cognosce ut facias quicquid dederis. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum set* etc. (Rom. 2, 13). » Unde Ysidorus⁴ de summo bono libro tertio : « Omnis profectus ex lectione et meditatione procedit : que enim nescimus, lectione didiscimus ; que didicimus, meditatione conseruamus. » Unde aliqui scolares ita libenter et clerici |92va| multi, si respicerent specula librorum sicut speculantur et contemplantur facies mulierum, set multi libentius student in pellibus uiuis quam mortuis. Timeo quod sit uerificatum in re quod olim contigit in figura in Ex. (38, 8) ubi dicitur quod factum est *labrum eneum de speculis mulierum* in ingressu templi, in quo contemplabantur se sacerdotes ingredientes templum, set hodie non in ingressu templi set infra templum in ecclesiis maioribus sunt spectacula mulierum, infra templum est forma meretricum, et uadunt multi ad ecclesiam propter spectacula mulierum potius quam propter reliquias sanctorum. Iterum regula generalis est hodie quod in ciuitatibus ubi est maior clerus, ibi est maior meretricum numerus. Ita deplorat Dominus per Jeremiam (Lam. 3, 51) : *oculus meus*, id est populus oculatus, *depredatus est animam meam in cunctis filiabus urbis mee*. Ista non debent esse specula clericorum set libri sanctorum. Unde Jeronimus⁵ ad Demetriadem uirginem : « Uttere lectione diuina uice speculi, feda corrigenda, pulcra conseruando, pulcriora faciendo. Scriptura enim quasi quoddam speculum est feda ostendens et corrigi docens. » Sed sunt multa que speculantur optime pulcra sua si non respiciunt feda. Recte est de homine sicut de

¹ ubi] ibi P.

² *Manipulus florū*, Scriptura sacra AI (Gregorius 2. libro Moralium capitulo 2) ; Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, II, 1, 1 (M. Adriaen, SL 143, 1979, p. 59).

³ *Manipulus florū*, Scriptura sacra AG (Hieronymus ad Demetriadem uirginem) ; *Epist. ad Hieronymum et scripta uariorum auctorum*, 148, 14 (I. Hilberg, CSEL 56, 1996, p. 340).

⁴ *Manipulus florū*, Studium G (Isidorus libro 3 de summo bono) ; Isidorus Hispalensis, *Sententiarum libri III*, III, 8, 3 (PL 83, 679B).

⁵ *Manipulus florū*, Scriptura sacra R (Hieronymus in epistola ad Demetriadem uirginem).

pauone. Pauo respiciens¹ plumas suas pulcras et uarias facit cum plumis pulcherrimam rotam. Videtur gloriari eam contemplando, set quando deprimit oculos uersus pedes suos, uidens turpitudinem pedum, confunditur in seipso et dissipat rotam plumarum. Tunc sicut rota |92vb| de plumis pulcherrimis et uariis, quando autem oculos mentis rotantur et reuoluuntur gratie diuerse quibus Deus hominem decorauit, uoluat homo et gyrat in animo suo : tu es talis et talis potens in amicis, diues in peccuniis, intelligens, eloquens et sic de aliis, faciendo rotam ualde gloriatur sicut pauo in plumis. Set conuertens oculos mentis ad recipiendum pedes suos turpes, ad considerandum defectus suos, fragilitatem et miseriam, confunditur et deponit rotam superbie. Je. II (23) : *quomodo dicis non sum polluta*, quasi dicat : de pulcritudine tua gloriaris, consideres gratias tuas et defectus tuos. *Vide uias tuas in conualle, scito quid feceris.* Sequitur (2, 26) : *quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusi sunt domus*, que Israel in sinis suis diuitiis et floribus et nobilitate te iactas de patria et pulcritudine corporis et honores communiter ab omnibus exhibentur te exaltas. « Respice te ipsum, quia mortalis es et quia terra es et in terram ibis. Conspercere eos qui ante te similibus fulsere splendoribus. Ubi sunt quos ambiebant ciuium potentatus ? Ubi insuperabiles oratores ? Ubi qui conuenientius festa disponebant ? Ubi equorum splendidi nutritores, ubi exercitium duces, ubi satrape et tyranni ? Nonne omnia puluis ? Nonne omnia fauille ? In paucis uersibus eorum memoria est uite ? Respice sepulcra et uide quis seruus et quis dominus, quis diues. Discernere, si potes, uinctum a rege, fortem a debili, |93ra| pulcrum a debili et deformi. Memorare nature animalium nec extollaris. Memor autem eris si te ipsum respexeris². » 2^a ca. Jo. (8) : *uidete uosmet ipsos*, et ad Heb. 3^o (12) : *uidete fratres ne sit in aliquo uestrum cor malum*. Hic poteris addere quod in sermone de eodem themate est supra³ : *uidete quomodo* etc.

[III] De secundo nota quod scriptor uolens sibi cauere ne faciat lineam tortuosam post regulam cum qua lineat et regulat suum codicem, quamdui manus et calamus scriptoris sequitur lineam rectam, scriptor non facit lineam tortuosam. Spiritualiter Psalmista (44, 2) comparat linguam hominis calamo scriptoris : *lingua mea calamus scribe* etc. Scriptor qui cum manu et calamo uult facere lineam non obliquam set rectam est iustus homo quilibet qui nec manu nec lingua, hoc est nec opere nec sermone, nec in factis nec in dictis, uult deuiare a rectitudine iusticie et equitatis. *Semita iusti recta rectus callis ad ambulandum* (Is. 26, 7). Modo non potest aliquis cum calamo et manu facere lineam rectam etiam si habeat penes se regulam, nisi habeat regulatum codicem. Codex in quo scribuntur merita et demerita nostra est affectus cordis siue uoluntas ; regula huius codicis scilicet affectus est ratio recta et quando codex affectus est regulatus regula recte rationis, tunc nec manus nec calamus deuiat. Tunc homo nec in factis nec in uerbis errat. Potest dicere illud Ecclesiastes (Eccli. 51, 20) : *ambulauit pes meus iter rectum*. Set quantumcumque homo habeat regulam rectam apud intellectum, nisi habeat |93rb|

¹ Exemplum 7.

² *Manipulus florū*, Prosperitas X (Prosper in suis sententiis) ; Prosper Aquitanus, *Liber sententiarum*, 392 (P. Callens, SL 68A, 1972, p. 364-365).

³ Sermon 33.

codicem regulatum, hoc est nisi habeat ordinatum affectum et non corruptum, statim facit lineam tortuosam cum manu et calamo, peccat uerbo et facto, dicente psalmo (118, 3) : *non enim qui operantur iniquitatem in uiis eius ambulauerunt.* Set est hodie ualde miserabile quod illi qui habent regulas magis rectas, frequentius faciunt lineas tortuosas. Unde dicitur (Eccli. 3, 16) : *uidi sub sole in loco iudicii impietate et in loco iustitie iniquitatem.* Jura quecumque ciuilia, canonica uel diuina non sunt aliud quam regule quibus quidam calamus et manus [utuntur], dicta et facta humana, propter quod Luc. X (25-28) dicitur legis perito querenti : *quid faciendo uitam eternam possidebo*, cui dictum est : *in lege quid scriptum est, diliges Dominum Deum tuum et proximum tuum etc. Hoc fac et uiues*, quasi dicat : lex dat etiam modum et regulam recte uiuendi, set modo illi qui melius sciunt et nouerunt iura, aduocati et iudices sunt qui tortuose allegant, qui dant iudicia tortuosa. Causa est quia cum regula quantumcumque recta, si uertatur hinc inde, quando applicatur ad codicem fit linea tortuosa ; sic multi apud intellectum habent regulas ualde rectas, optime sciunt iura, set quando regula ad codicem applicatur, uertitur, ipsi habent affectum ita peruersum quod affectio in eis peruerit iudicium, parit iudicium, cum res transit in affectum. Item licet iura sint de se ualde recta, ipsi tamen uertunt ea sicut uolunt. Ita allegant ea in mala causa sicut in bona. Illi sunt qui ambulant uiam non bonam et post peccata sua debet ergo |93va| regulari pes affectus a regula recte rationis. Figura in Eze. in illis animalibus que erant *plena oculis ante et retro* (Apoc. 4, 6), *cum ambularent animalia ambulabant pariter et rote iuxta ea* (Eze. 1, 19) et *pedes eorum erant pedes recti* (Eze. 1, 7). Animalia oculata sunt clerici, rote insensibiles sequentes motum animalium sunt populares et layci ymitantes de facili facta clericorum, facta prelatorum, de facili trahuntur a subditis in exemplum. Pedes ergo eorum debent esse pedes recti, quia clerici debent esse ita recti quod prebeant laycis exempla recte uiuendi, dicentes eis illud Apostoli, prima Thess. 4 (1) : *quemadmodum accepistis a nobis quomodo nos oporteat ambulare et placere Deo, sic ambuletis ut habundetis magis.*

[III] De tertio nota quod quia equus, si suauiter ambulat et de facili cespitat et sessorem suum precipitat, ideo incaute et periculose dicit equum, etiam si suauiter ambulet, nisi continue teneat sibi frenum, in Ysa. (31, 3) dicitur : *equi eorum caro non spiritus.* Innuit quod caro est sicut equus cuius sessor est spiritus. Equus iste est talis conditionis quod quanto suauius ambulat, tanto facilis cespitat et sessorem precipitat, scilicet spiritum, in lutum peccati. Unde in Ecclesiastico (13, 16) : *caue etiam et attende diligenter quoniam cum subuersione tue ambules*, hoc est dictum : si ambulas et si in deliciis uiuvis, tu es in periculo subuersionis. Ex quo patet quod incaute et periculose regit corpus suum qui cum freno intemperantie et abstinentie non refrenat eum. Unde Ecc. 24 (Eccli. 28, 29-30) : *facito frenos ori tuo rectos et attende nec forte labaris in lingua.* Quod temperantia |93vb| sit frenum dicit Prosper¹, libro tertio de Vita contemplativa, loquens de temperantia : « Hec uirtus, si in anima habitat, libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, uiciosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, cogitationes prauas remouet et sanctas inserit, ignem libidinose uoluptatis entinguit,

¹ *Manipulus florum*, Temperantia E (Prosper libro III de vita contemplativa).

mente placita quadam tranquillitate componit et totam ab omni uiciorum tempestate defendit. » Hoc Prosper, quando laxantur habene sensualitatis, ipsam effrenate currit in precipitum peccati. Ideo dicit Apostolus (Gal. 5, 16) : *spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis*, quasi dicat : non laxetis habenas equo ambulantes in desideriis carnis, set restringatis et teneatis eum cum temperantie freno. Unde Mc. (14, 44) : *tenete eum et ducite caute*. Gregorius¹ 6 Moral. : « Solus in illicitis non cadit qui se et aliquando et a licitis caute restringit. » Bene dicit caute quia frenum abstinentie non debet irrationabiliter laxari nec excessiue restringi. Gregorius² secundo Moral. : « Abstinentie uirtus nulla si tantum quisque corpus non edomat quantum potest et ualet, aut ualde inordinata est et se atterit plus quam ualet. » Figura primo Mach. 6^o (40) ubi dicitur quod *distincta est pars exercitus per montes excelsos et alii per loca humilia et ibant caute et ordinate*. In exercito illo erant bestie multe et super quamlibet magister bestie et dicitur ibi quod *una de bestiis erat loricata loricis regis* (Macc. 6, 43) [94ra], hec fuit ab Eleazaro interfecta qui subposuerat se ei. Spiritualiter quilibet nostrum habet regere exercitum unum in duas partes distinctum quia uires anime quedam incedunt per montes excelsos pertinentes ad partem excelsam scilicet intellectiuam ; intellectus enim abstrahit et eleuat a particularibus istis. Job (22, 14) : *cardines celi perambulat* etc., uires que pertinent ad partem inferiorem. Modo qui uult debite regere exercitum suum habet facere quod quilibet bestia habeat magistrum presidentem. Igitur bestia est sensualitas in qua homo assimilatur bestiis. *Comparatus est iumentis insipientibus* (Ps. 48, 13). Magister est spiritus qui debet presidere bestie³, quidem spiritus debet sensualitatem regere et eam temperantia refrenare. *Si spiritu uiuimus spiritu et ambulemus* (Gal. 5, 25). Set bestia loricata sequendo ethymologia nominis et non signatum, lorica dicitur quasi loris caris, quod ergo bestia loricata Eleazarum interfecit qui se ei subponit. Hoc figuratiue designat quod quando sensualitas refrenatur loris temperantie seu freno abstinentie, ita quod spiritus qui debet preesse subponitur sensualitati et subponitur sibi, tunc ipsa casu peccati spiritum interfecit, dicente Apostolo (Rom. 8, 13) : *si secundum carnem uixeritis moriemini*. Set quando bestia habet magistrum, hoc est spiritum dominantem sibi et refrenantem eam freno temperantie, tunc uadit exercitus caute et gloriose et ordinate. *Si Spiritu facta carnis mortificaueritis uiuetis* (Rom. 8, 13), scilicet uita gratie in presenti et uita glorie in futuro. Ad quam gloriam nos perducat.

¹ Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, V, 11, 17 (M. Adriaen, SL 143, 1979, p. 230).

² Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, XX, 41, 78 (M. Adriaen, SL 143A, 1979, p. 1061).

³ bestie] qui add. P.